MATERIES MEDICA
PRAELECTIONIBUS ACADEMICIS ACCOMMODATA

AUCTORE

JOANNE BAPTISTA BALBIS

IN SCHOLA MEDICA TAURINENSIS ACADEMIAE BOTANICES, ET PHARMACEUTICAE ARTIS

PROFESSORE,

HORTIQUE ACADEMICI PRAEFECTO,

Imperialis scientiarum, literarum, et artium Taurinensis Academiae sodali, Societatis agrariae Taurinensis Praeside; Academiae Divionensis, Societatis Imp. scientiarum, literarum et artium, ac medicae Genuensis, naturalis Wetteraviae socio, etc.

PARS I.

MDCCCXI.

IN AEDIBUS ACADEMIAE TAURINENSIS

TYPIS VINCENTII BIANCO

Edidit PETRUS JOSEPH PIC,

Bibliopola sub porticu Fori Imperialis.

On met la présente édition sous la sauvegarde de la Loi, et les exemplaires qui ne seront pas revêtus de ma signature, seront regardés comme contrefaçon.

LECTORI BENEVOLO.

Quod a pluribus jam annis in publicis praelectionibus adolescentes meae concreditos curae edocui, quodve purioribus ex fontibus hausi, quod etiam a compluribus doctissimis in arte magistris accepi; quod demum medico usu, atque experientia, in nosodochiis praesertim militaribus saepe compertum habui, id nunc, studiosis alumnis exoptantibus, gravissimis etiam suadentibus Viris, in publicam lucem profero. Quod eo lubentius suscepi, quum illud mihi vere persuasissem, vulgatis semel praelectionibus istis, iisdem uti facilius quemque posse, id vero temporis, quod singulis diebus in gymnasio scribendo consumi-

tur, iisdem uberius explanandis multo facilius impendi. Quem enim fugit saepe etiam in scribendo plurima irrepere menda, quae sententias ita deturpant, ut quid velit Auctor nulla ratione percipi possit? Quibus rationibus permotus opus hoc vulgandum omnino censui. Itaque tu, lector humanissime, benigniter excipe; si vero nonnulla fortasse in eo desideres, si multa non satis uberrime descripta invenias, hoc scias velim, tyronibus praecipue, minime vero in medica facultate praestantibus doctrina Viris dicatum esse hoc opus.

IN UNIVERSAM MATERIEM MEDICAM

PRAEFATIO.

Quum ab antiquissimis temporibus praesidia adversus morbos quaesita sint, nullaque gens, quamlibet rudis, incultaque unquam extiterit, quae certis quibusdam remediis longo usu, atque experientia demonstratis ad debellandos morbos usa non sit; nihil ideo mirum, si ab ipsis veluti artis incunabulis eximii Viri totis viribus allaboraverint in remediorum inquisitione, eorumque invenienda congrua administratione, nempe in materie medica comparanda, sensimque perficienda, ut denique ita progressi sint, ut certo artis medicae tyrones docere possint circa innumeras substantias e triplici naturae regno petitas, earumque principia, ac praesertim, quod praecipuum

est, medicatas quoque earumdem vires, utendique modum in morbidorum affectuum curatione declaraverint.

Nec tamen censendum facile doctissimos homines ita facile haec esse assecutos; ipsa enim conquirendi, experiundique sedulitas adeo remediorum copiam auxit, ut in immensum pene excreverint, ac nimiae credulitati aditum patefecerint; ex quo sane factum est, ut medicus tyro et plurimum temporis, quam par sit, impendere debeat, et admodum difficile inter innumera, quae ipsi objiciuntur, ea seligere possit, quae tuto, ac facile tractare valeat, illa nimirum, quae nec multitudine memoriam fatigent, nec paucitate morborum numero imparia sint, quaeque potissimum certis, exploratisque viribus constant. Contractis itaque uberioribus remediorum descriptionibus, quae potius ad historiam naturalem pertinent, non ita multis indicabimus, quae analysi chemicae de medicatis substantiis innotuere, quorum quantus sit in reme-

diorum praesertim concinnatione usus, suo loco dicemus.

Antequam tamen singulatim de remediis agamus, operae pretium erit generalia quaedam praecepta tradere, seu potius praenotiones, quae veluti totius doctrinae fundamenta sint, atque ad universam materiem medicam viam sternent faciliorem.

CAPUT I.

De materiei medicae definitione, ac divisione.

Cognitio, ac congruens administratio rerum omnium, quarum aliqua esse potest utilitas tum ad profligandos morbos, tum etiam ad eosdem praecavendos, materiem medicam constituit, ex qua definitione liquet non modo medicamenta proprie dicta, sed et alimenta, et moralia praesidia, ipsaque venena ad eamdem pertinere.

Neque solam empyricam medico suffi-

cere administrationem praesidiorum, sed eorumdem agendi rationem perspectam medenti esse debere. Itaque materies medica rerum naturalium historiam, characteres, delectum, principia expendit, virtutes, earumque effectus in homine docet, et cujuslibet medicamenti agendi modum; rectam administrationem, tum praeparandi, componendique rationem, copiam, usumque in morbis indicat, ut aegrum corpus, quantum fieri possit, ad salutem traducat, futuros etiam praecaveat morbos.

Quem ut assequatur finem, non solum in homine suas habet Medicus observationes, sed analogia usus in animantibus ipsis experimenta multiplicat, prudentique judicio sensim ad humana corpora traducit.

Ut autem perspicuitati, quantum licet, consulamus, in remediis tradendis eo utemur ordine, qui nuperiori physiologiae magis accommodatur, candide simul aperiemus, quos potissimum duces secuti simus, scilicet Cullen, Murray, Carminati,

Swilgué, et Alibert. Hisce tam gravibus Viris praeeuntibus, difficile hoc opus suscepimus, nec inutile tyronibus nostris futurum confidimus.

Articulus I.

De alimentis generatim.

Substantiae, quae intus sumtae animalium partium deperditionem a vitalis vis actione continuo factam novarum particularum appositione reparant, indeque pendentes vires reficiunt, ac sustinent, *alimenta* dicuntur.

Haec autem abunde admodum ex animali, necnon ex vegetabili regno petuntur. Minerale enim, vix praeter aquam, et sal commune, quod condimenti locum tenet, aliquid nutritioni aptum certa fide hactenus suppeditat., etsi ab atmosphaera fortasse etiam nutritii quidpiam corporibus nostris accedit.

Alimenta autem in *esculenta*, ac *poculenta* generatim dispescuntur, quibus nonnulli addunt *condimenta*, uti modo innuimus, nomen habent a vario, unde petita sunt, regno.

Esculenta porro vegetabilia materiem nutritioni minus aptam praebere certum est; hinc in acutis praesertim morbis, aut quibus tenuior victus convenit, adhibenda: ex animali vero regno desumta magis nutriunt, maximeque si carnem coctu facilem praebeant, puta bubulam, et vitulinam, quae ceteris omnibus nostra in regione merito praeferuntur. Aves quoque, et inter has gallus gallinaceus, et gallo-pavo optime nutriunt, minus vero pisces, qui delicatioribus ideo subjectis aptantur, atque convalescentibus saepe in deliciis sunt, faciliusque generatim concoquuntur.

Poculentorum omnium basis aqua est; inter haec vero eminet vinum, quod si ex maturis uvis, ac rite fermentatum obtineatur, quod nec dulce sit, nec acidum,

sed subausterum, amarumque, stomachum roborat, digestionem adjuvat, vires erigit, animum exhilarat, ac moderate epotum non sanis tantum confert, sed aegris refocillandis ceteris cardiacis, roborantibus, stimulantibus fere praeferendum, in regione nostra potissimum, in qua multigena vina, optimaeque notae haud desiderantur, et dummodo pro varia eorum indole, satis vetusta evaserint, exterorum aemula, quae ex remotis mundi plagis advecta quammaxime emimus.

Eminent inter vina nostratia vinum *Giambavae, vino santo* Buschense, tum et vina Astensia, Montisferrati, Albensia, necnon ex variis *Langarum* plagis provenientia.

Quod attinet ad condimenta, licet materiem proprie dictam nutritioni aptam vix, aut plane nihil suppetere videantur, tamen alimentorum digestionem efficaciter adjuvant, stomachum erigunt, ac universum saepe systema exsuscitant; hinc peculiari consideratione digna: moderate tamen as-

sumenda, tum quia ex eorum nimio usu corpus ita assuefit, ut absque iis nequeat amplius digestionem ciborum absolvere, tum quod ex eorum abusu ventriculi vires plurimum labefactentur, et corpus ad maciem aestumque disponitur. Illud autem tenendum plura apud nos indigena prostare, quae aromatum qualitates, et vires supplere sat commode possint.

Plura hic loci possent de diaetetico substantiarum usu adjungi, verum quum haec alibi tyronibus speciatim tradantur, ea ideo libenter omittimus.

ARTICULUS II.

De medicamentis generatim, eorumque divisione.

Difficile admodum exactam medicamentorum definitionem tradere. Generatim tamen hoc nomine veniunt ea omnia, quae corporis viventis inordinatum statum mutant, ac in sanitatis limites restituunt.

Antequam vero ulterius abeamus, juverit aliqua praemittere de remediorum divisione; alia scilicet sunt *universalia*, quae nempe parti alicui applicita ad universum corpus propagantur, diffunduntur que; alia sunt particularia, quum nimirum in partem tantum, cui admota sunt, actionem suam dirigunt; *topica* tunc nominantur: iterum remedia dicuntur *interna*, si ore assumta in ventriculum deducantur; *externa*, si alicui parti exteriori apponuntur, ut unguenta, emplastra etc.: medium locum tenere videntur ea, quae externis aperturis admota in interiores profundius partes, caveasque parum a memoratis ostiis dissitas introducuntur, quemadmodum clysteres, gargarismata, masticatoria, variae injectionum species etc.

Composita item medicamenta dicuntur, quae ex varia simplicium miscela, comparatione, et praeparatione efficiuntur, ut pilulae, pleraeque salium species etc. *Simplicium* autem remediorum nomine

veniunt ea, quae in natura reperiuntur corpora, quin ullam, aut levem tantum ab arte actionem, mutationem, decompositionem sint passa, ut mineralia, metalla, vegetabilia, eorumque succi vel sponte, vel incisione effluentes.

Pharmaceutica porro ea vocantur medicamenta, quae apud pharmacopolas; *emporetica*, quae apud myriopolas; *domestica*, quae domi inveniuntur: *extemporanea*, quae brevi ubique parari possunt sive ex simplicibus, sive ex vulgaribus praeparatis fiant.

De nonnullis medicamentorum nominibus.

Plura apud materiae medicae scriptores reperiuntur medicamentorum vocabula, quae penitus haud nostris diebus exolevere, quorum significatio licet non omnino semper cum effectu congrua, tamen nec a Medico tyroni ignoranda, neque hic loci reticenda. Ita:

Absorbentia dicuntur medicamenta, quae acida primarum viarum absorbent.

Adstringentia, quae solidarum partium cohaesionem adaugere valent, majoremque in solidis, ac motricibus humani corporis partibus contractionem inducere.

Anodyna, quae dolorem sedant, atque hinc *paregorica*, quae demulcendo, *hypnotica*, ac *somnifera*, quae somnum conciliando; *narcotica*, quae soporem inducendo dolorem tollunt.

Alviduca, quae naturalem alvi evacuationem promovent.

Anacathartica, quae vel vomitum, vel salivam, vel mucum, aut pus e pulmonibus eliminare valent.

Apophlegmatisantia, et *sternutatoria*, sive *errhina*, aut *ptarmica*, quae narium serum, et mucum educunt, sternutatione saepius excitata.

Aperientia, quae obstructos, ut ajunt, meatus aperiunt, hoc est secretiones, aut excretiones suppressas revocant, liberio-

remque humorum circuitum per partes reddunt.

Alexipharmaca, seu *alexiteria*, et *bezoartica*, quae venenis expellendis, et per cutis spiracula educendis inservire credita sunt.

Anamnestica, quae memoriam augere, vel revocare.

Aphrodisiaca, quae venereum oestrum excitare; et *antiaphrodisiaca*, quae ad ipsum coërcendum valent.

Antacria, quae acrimoniam corrigunt.

Antifebrilia vocata sunt, quae febri; *antihectica*, quae hecticae febri adversantur; *antyhisterica*, quae hystericis, et hypochondriacis affectibus medentur: *antiphlogistica*, quae inflammatoriis morbis; *antiscorbutica*, quae scorbuto auxiliantur; *antiseptica* dixere, quae putrefactionem corrigunt; *antispasmodica*, quae spasmodicos affectus; *antihypnoica*, quae somnum fugant; *antivenerea*, quae luem veneream debellant.

Attenuantia, quae fluidarum partium cohaesionem imminuere credita sunt.

Cardiaca appellantur, quae cordis languentes vires excitant.

Cephalica, quae capitis morbis occurrunt.

Deobstruentia, quae ad obstructiones tollendas;

Depurantia, quae ad impura e corpore eliminanda valent.

Diaphoretica, quae insensilem cutaneam perspirationem; *diuretica* quae urinam pellunt.

Diluentia, quae fluidarum partium accessione sanguinis fluiditatem adaugent.

Evacuantia vocantur ea, quae naturales promovent excretiones, aut fluida aliquomodo e corpore expellunt; hinc *abortiva*, si abortum, *ecbolica*, si naturalem partum promovent, placentam, aut mortuum foetum expellunt.

Galactophora, quae lactis secretioni adaugendae inserviunt.

Ab humoribus, quos speciatim evacuant remedia, varia inde nomina sortita sunt; sic *aristolochica*, quae lochia, *cholagoga*, quae bilem, *melanagoga*, quae bilem atram, *phlegmagoga*, quae pituitam, *sialaloga*, quae salivam, *emmenagoga*, quae menstrua provocare valent.

Lithontriptica vocantur remedia, quae ad calculos, et calcareas concretiones solvendas valere credita sunt.

Roborantia, quae corpus firmant, deperditasque vires reficiunt.

Sistentia dicuntur, quae adauctas excretiones aut imminuunt, aut supprimunt.

Stimulantia, quae motrices fibras, et generatim activas vires excitare valent.

Agglutinantia, *cicatrisantia*, quae molles partes praeter naturam sejunctas reconciliare, et ad cicatricem perducere valent.

Consolidantia, quae reviviscentibus partibus in ulceribus soliditatem, ac cohaesionem impertiuntur.

Cosmetica, quae faciei gratiam ac formam conciliare idonea sunt.

Digerentia, seu *digestiva*, quae optimi puris in ulceribus productioni favent.

Discutientia, quae humores, ac durities discutiunt.

Epispastica, seu *vesicatoria*, quae serum e partibus, quibus applicantur, attrahunt.

Escarotica, quae corrosivam vim supra solidas humani corporis partes exercent.

Humectantia, quae solidas partes humectant.

Maturantia, quae puris in inflammatoriis tumoribus generationi, ac perfectioni favent.

Mundificantia, *cathaeretica* etiam dicta, quae uberius detergendo, ac penetrando, validiusque irritando etiam super carnem sanam agunt.

Repellentia, *repercutientia*, vel reprimentia, quae liquida ab exterioribus ad interiora propellunt, solida corrugando, vel exsiccando.

Rubefacientia, quae cuti ruborem, et aliquam inflammationem excitant.

Sarcotica, quae carnis regenerationi, solidorum consolidationi, et cicatrici inducendae conducunt, his fere analoga *vulneraria*.

Acustica insuper, quae aurium; *hepatica*, quae hepatis; *nephritica*, quae renum; *odontalgica*, quae dentium; *pectoralia*, quae pectoris; *stomachica*, quae ventriculi; *uterina*, quae uteri; *nervina*, quae nervorum morbis opitulantur, passim vocata ab Auctoribus sunt.

Hisce praemissis circa divisionem ac nomina remediorum, planum est tum ex his, tum ex proposita superius medicamentorum definitione, eorumdem vires consistere in proprietatibus vitalibus organicis, aut animalibus, tum in alterationibus textus aut in perturbationibus functionum corrigendis.

At vero non omnia organa immediato medicamentorum contactui patent. Sola

cutis, ejusque propagines, nempe mucosae sic dictae cibarii canalis membranae, cavearum nasalium, bronchiorum, urethrae, urinariae vesicae, vaginae, et uteri, necnon meatus auditivus, oculique ipsi huic patent contractui in ordinario statu; alia enim organa, nisi denudata fuerint, id sinunt. In his itaque alia omnino via tentanda, eoque dirigenda remediorum administratio, ut per organi contiguitatem, vel per sympathiam id operetur; quo modo irritata uvula vomitus excitatur: aut suspensa actione cerebri spasmi, ac voluntariorum musculorum convulsiones sedantur. Saepe demum totus organicae fabricae status immutatur, ut id organum, quod affectum est, de eadem actione participet.

Praeter haec medicamenta vel intus corpus subeunt, vel tantum solo consensu, vel sympathice operantur.

Priori in casu eorumdem effectus manifesti fiunt odore, sapore etc. excretorum,

quae ingestae, vel applicitae substantiae proprietates, et qualitates utcumque redolent. In altero vero casu effectus oriuntur, antequam conjicere possimus per circuitus vias traductam esse medicamenti materiem, actionemque. Sic, vomitu rejecto peruviano cortice, paullo postquam assumptus fuit, tamen effectus, qui deinde observantur, probant jam actionem suam exeruisse. Pariter ammoniacae odor momento temporis excitat.

Pluribus itaque modis remedia operantur; scilicet vel directe, vel per contiguitatem, vel per sympathiam, per absorptionem etiam, per organorum subjectionem, denique per actionem generalem, quibus nonnulli addunt revulsionem.

Quum igitur per contiguitatem medemur, textus seligendus, qui directe organum integrandum contegat. Ut vero per sympathiam agamus discendi consensus partium, quibus perspectis facile liquet cui loco applicandum remedium ad remotam partem levandam.

Absorptio locum praesertim habet in cute, in mucosa ventriculi, et crassorum intestinorum membrana etc. Ex his autem praestat interdum uni magis, quam alteri loco pro adjunctorum varietate admovere; quandoque indiscriminatim cuique licet. Ita absorptio cutanea convenienter in systematis lymphatici vitiis, ac praesertim ubi subcutaneae glandulae affectae sunt, tum in organorum renalium affectibus; absorptio vero gastrica praeferenda, ubi in systema nerveum agendum est, vel in circuitus, aut respirationis organa etc. Per subjectionem demum, moderando organum, a quo pars, cui medendum est, dependet, hujus morbis auxiliamur; partes vero, quarum imperio aliae magis reguntur, encephalum sunt, et cor.

In medicamentorum itaque applicatione summopere attendendum est ad organum, in quod medicamentum ipsum dirigendum est; differt enim plurimum juxta vitales, ejusdem organi actiones et sympathiam,

sed et spectanda est subjecti idiosyncrasia, aliorumque adhuc adjunctorum differentia: ita medicationes, quae in encephalum diriguntur, majorem cautionem requirunt, ac illae, quae cutaneo organo applicantur; vomitoria item, et purgantia cautius quam errhina etc. adhibenda.

Sunt qui totam medicamentorum actionem in erigendis, aut infirmandis vitalibus proprietatibus collocent; ita tamen ut sciamus alias obtinere modificationes, quas non facile ad augmentum, vel decrementum referas, ut etiam sciamus saepe augmentum actionis in uno organo imminutionem in alio praestare.

Haud vero confundendae medicationes cum mutationibus, quas determinare possunt in morborum decursu. Hae siquidem nonnisi effectus sunt, et variant pro subjecti, et morbi varietate, dum medicatio accidentales tantum patitur modificationes. Id autem tantummodo apprime callebit is, qui morborum typum, omnesque sympto-

matum mutationes, variam eorumdem intensitatem etc. cognoscet, simulque quid valeat diaetae, externarumque rerum ratio ad morborum typum mutandum, et remediorum actionem perturbandam.

Ex physiologicis et pathologicis notum nunc temporis est remediorum actionem supra solidum vivum, ut ajunt, praesertim dirigi, ab iisque tum sensilitatem, tum irritabilitatem affici sive partium ipsarum, quibus admoventur, sive consentientium, sive utrarumque, quod ad exemplum manifestum fit in substantiis odoris, quae olphactoriis nervis applicantur. Homo enim asphyxia correptus, ex ammoniaca naribus admota excitatur, ac reviviscit momento temporis; ex croci, et narcoticorum odore soporosi morbi, ipsaque mors consequi visa; ex alimento vix ore degustato, vel in ventriculum demisso subita virium refocillatio fit; ex cardiacis instaurantur totius corporis vires; ex opii grano vel intra ventriculum commorante totum nervosum systema evidentissime afficitur.

Ex quibus sane omnibus liquet remediorum actionem potissimum, seu primario locum habere supra solidum vivum, sive supra partes solidas; etsi haud inficiamur ab assumptis remedii mutari non raro, per secundarium effectum sensibiles humorum qualitates, quemadmodum a mercurio, aliisque contingere frequenter videmus.

Ab his probabile fit remedia aliqua haberi, quae salutares effectus exerunt, dum alicui tantum parti applicantur, aut ventriculo solum continentur, quin opus sit, ut per chyli, et sanguinis vias ad communem circuitum, indeque ad omnes corporis partes traducantur; imo credibile est remedia multa operari in remotas etiam, ac singulares partes, dum adhuc ventriculo retinentur, idque ob peculiarem, quem jam innuimus, consensum, quem viscus istud cum aliis partibus fovet, qui consensus valde multiplex est, ac pro varia assumptorum remediorum natura modo in

unam, modo in aliam partem peculiariter dirigitur. Ita a cardiacis cordis vires cito eriguntur; vicissim ab assumta putrida substantia, veluti a corrupto ovi vitello animi deliquium contingit: ex aqua laurocerasi subitae vertigines, convulsiones, et mors, hisque similia.

Ut vero cum certitudine tum effectus, tum administratio remediorum, quantum licet, innotescant, spectanda est hominis cujusque idiosyncrasia, ac peculiaria adjuncta corporis, aetatis, virium, anni temporis, similium, in aegrotante, cui remedium ministramus; ab his enim medicamentorum actio vario modo temperatur, atque diversos sortitur effectus. Ita nonnulli ab assumto oleo male habent, alii a rhabarbaro, manna, cassia pessime turbantur, longeque alia res est, si aeger aetate, animi pathematis, longa inedia fractus sit, ac vero si aetate florens, et athletice vixerit. Ad remediorum ergo actionem dirigendam, quantum licet, intelligendamque

non modo solidi viventis oeconomiae generalis, sed peculiaris etiam, hoc est temperamentorum, et idiosyncrasiae ratio spectanda est.

Ut autem substantiarum vires innotescant, certoque determinare possimus, multa conferunt; inter quae primum locum tenent experientia, atque observatio, si recte instituta fuerint, si nempe judicium severum, exactumque circa remediorum effectus feratur; adeoque nulli praeconceptae hypothesi simus addicti.

Expendendae quoque sensiles sic dictae remediorum qualitates sapor, odor, color, similia. Generatim enim sapida corpora effectum exerere, et naturae utcumque respondentem saepe est observare. Illud quoque eruimus et saporis similitudine similes saepe argui substantiarum vires. Nec tamen nimium sapori credendum; sunt enim aliqua, quae licet parum sapida, tamen actionem sat validam exerere apta sunt.

Olphactus pariter corporum proprietates

utcumque revelat, quum odora corpora, ut plurimum, in nervosum systema evidenter agant, et pro salubri earum effectu, vel insalubri gratas, jucundas, ingratas, nauseabundas, aversabiles experiamur.

Idem dicendum de colore. In universum enim virulentas substantias tristi notasse colore, habituque non jucundo natura videtur, utiles contra grato, sed haec quoque multas exceptiones admittunt, ut vix generales ex his regulas constituere liceat.

Spectandus etiam *aggregationis* status; longe enim alia res est si solida sub forma, et integra, an vero pulverata, an menstruo diluta, an vaporosa, vel gazosa forma substantiae pro medico usu exhibeantur.

Affinitates botanicas ad stirpium vires medicas statuendas summopere commendaverunt nonnulli, eoque nomine intelligunt similitudinem partium fructificationi praesertim inservientium, ob quam ad eamdem classem, ordinem, ac genus relatae sunt; haec tamen regula, etsi in non-

nullis classibus valet, non omnibus tamen aeque accommodari potest. Quippe in naturalibus ipsis ordinibus cernere est; cichoraceae enim stirpes, quae innocuae sunt, licet magna sumantur quantitate, aliquas tamen continent, quae parva copia sumtae perniciem habent, ut *lactuca virosa*. Vicissim in solanaceo genere, quod pene omnes noxias habet species, aliquae existunt, quae non modo innocuae, sed optimae imo aestimantur, exemplo *solani tuberosi*, *Lycopersici*, *Melongenae* etc.

Est vero diversitas remediorum aliqua medico spectanda, prout ex diverso eruuntur regno; mineralia enim magis constantes vires habent, quam vegetabilia: haec siquidem pro diverso, quo colliguntur tempore, aetate, solo, pro vario etiam tempestatis statu aliisque pluribus variant, at vero mineralia alias habent incertitudines, varium scilicet agendi modum, prout diversa ratione praeparata, exemplo tartratis antimoniati potassae, kermetis mineralis

etc. Sed etiam parandi modus vegetabilium remediorum vires diversas facit. Ita syrupus de spina cervina, prout ex baccarum succo fermentato, vel non fermentato paratur, plurimum variat. Hinc diversi effectus ex maceratione, ac decoctione; diversitas quoque extractorum est, prout alcohole, vel aqua parata.

Vix dicere opus medicamenta composita variam ostendere actionem, prout pluribus, vel paucioribus scatent ingredientibus, pro varia eorumdem proportione, ipsaque praeparationis methodo. Ita theriacae nomine, pharmacopaea Parisiensis, ac Londinensis compositum exhibent, quod in priori plus quam septuaginta diversas substantias, in altera quatuor tantummodo continet. Idem in pilularum, unguentorum, aliorumque compositis occurrit.

Nemo quoque non novit pro vario, quo servantur, modo varias pati alterationes remedia. Ita alcohol sulphuricus sponte in alcohol aethereum transit, si per

aliquod tempus servatur; acidum muriaticum oxygenatum ex lucis contactu in acidum muriaticum simplex mutatur. Idem dicito de conservis, electuariis, syrupis, aliisque praeparatis, fermentationem facile patientibus, quum humido, calidoque loco servantur.

In universum vero remedia facilius alterantur, si liquida, ac pulverulenta, mollique forma, si pulverata serventur. Potissimum vero alterantur remedia, quum acida alkalicis commiscentur, vel quum metalla, aut oxyda metallica recipiunt; extractivum plantarum principium a calce praecipitatur; tanninum carbonate potassae, et gelatina deponitur etc.

Verbum adhuc dicendum de praeparatis officinalibus: horum multa inconditae compositiones sunt, quae inertes aliquando, aut etiam pugnantes substantias continent; non ergo mirum, si plura ex iis Clinicorum peritia e medicamentorum censu expulit, neque in recentioribus medicamen-

torum codicibus amplius reperiuntur. Obstant enim haec medendi securitati, quae prima medicinae lex est, incertum de remedii effectu medicum relinquant, et naturae instituto adversantur quae simplicibus gaudet remediis. Hinc remediorum commixtio sagaci, expertoque medico eget, et sobria, parcaque esse plurimum debet, neque enim ubique improbanda; sic opium ipecacuanhae sociamus, quod diaphoresim movet, nec somnum, nec vomitum inducendo, quandoque etiam aliorum societate tutior redditur, minusque incommoda principis remedii actio; sic aromatica purgantibus juncta colicos dolores prohibent; sic cardiacis ipecacuanha aliquando miscetur, ut facilius ab infirmo stomacho toleretur, cetera.

CAPUT II.

De medicamentorum praeparatione, ac compositione.

Quoniam medicamenta non semper ut ex naturae regnis habentur aegrotantibus solent exhiberi, sed plus minusve mutata, seu praeparata, ut ajunt, saepius exhibentur; hinc vires diversas pro vario compositionis, tum mixtionis etiam genere in animali oeconomia exercent; aliqua propterea de remediorum praeparatione dicenda, quae viam sternant ad modum, quo medicinales formulae sunt concinnandae.

Substantiae itaque medicamentosae aliae trituratione, aliae expressione, extractione, coctione, quaedam liquatione, aliae resolutione parantur, variaque forma exhibentur.

Et primo quidem trituratione rediguntur vel in fragmenta, vel in assulas, aut in

ramenta, aut in scobem, vel in pulverem rudem, aut tenuem, vel etiam tenuissimum. Pulveres vero vel simplices, vel compositi vocantur, vel interno, aut externo usu, prout nimirum unice, vel pluribus rebus conficiuntur, vel ore assumuntur, vel cuti tantum, naribus, auribusve applicantur.

Hac forma substantiae plurimum divisae cum multis partibus in contactum veniant, earum ideo actio promtior, validiorque esse necessario debet.

Non unus autem externorum pulverum applicandi modus. Ita cuti inspergi solent, vel etiam sacculis inclusi admoventur, praesertim quum aromatici sunt; hoc modo quandoque cortex peruvianus adplicatur; alias tota pars intra pulverem mergitur, vel supra ipsam pulvis ex alto demittitur.

Non semel etiam pulvis super emplastro, aut cataplasmati inspergitur ut diutius haereat, quo modo cantharides et sulphuris flores pici adjicimus.

Oculo pulvis immediate applicatur, et

tunc *collyrium siccum*, vel *sief* dicitur. Pulvis tenuissimus hoc in casu esse debet, in aqua et muco facile solubilis plumae, tubi, vel corniculi ope in oculum insufflandus.

Intra nares immittitur pulvis mediocriter tenuis, qui cono, vel turunda recipitur ex linteo carpto factis, queis narium cavea impletur.

Qui ventriculo demittuntur pulveres vix nisi syrupo, conserva, vel liquido aliquo excipiuntur, vel nebula involvuntur. Infantibus panis butyro obvolutus pulvere, si albus est potissimum inspergitur, vel cum pane ipso decoquitur, si pulveris natura ferat.

Mollia vocantur remedia, quae axungiae habent consistentiam, quam quidem vel naturaliter habent, vel arte acquirunt aqua, aliisque mollioribus substantiis additis. Quod si molli nimium consistentia sint, intermedia pulverulenta ad opus insumenda.

Medicamenta, quae inde emergunt, con-

sistentia, ac forma varia necessario sunt, unde varia eorumdem nomina: scilicet ubi sat solidam habent consistentiam, cerae similem emplastra dicuntur: linteum, quod liquefactae huic miscelae immersum est, et ab utraque parte obductum, *tela sparadrappum*, seu *sparadrappa* vocatur; si molliorem consistentiam, tunc *cerata* proprie dicta nuncupantur, quamvis cum emplastris saepe confundantur.

Remedium hoc cuti appositum facile calore corporis adhaerescit, diuque in loco satis tenaciter remanet.

Convenit propterea, ubi cutis ab aëris contactu tutanda, vel solida corpora, ut potassa caustica, pulvis cantharidum etc. servanda sunt, vel partes laxiores firmandae.

Altera solidorum remediorum species *pasta* dicitur, ita vocata, quod vulgari pastae consistentia sit. Haec cuti apposita facile adhaeret, nec ultra praefinitos limites extenditur. Ex tritici, secalis, vel hordei farinis, aqua vel aceto additis, conficitur,

illo simul adjecto corpore, quod casui accomodetur, puta cantharidibus, semine sinapis nigrae, e quibus *pasta fortis*, et *sinapismata* parantur.

Unguentum parum ab emplastro differt, tantummodo minus densum, minusque cohaerens, solo cutis calore facile liquefit, et late extenditur. Iis autem in casibus adhibentur unguenta, ubi latius agendum est, ubi medicamentum absorberi debet, ac ubi textus delicatior, ut in ulceribus, vulneribus etc.

Ad hoc remedii genus parandum axungia suilla praesertim, butyrum recens, ceratum, ovi albumen, et vitellus, sapo, mucilagines, gelatina, mel insumi consuevere.

Sequitur *cataplasma*, pultis habens consistentiam, quod calide, vel tepide externo corpori, vesica, aut lineo panno involutum imponitur. Hac ratione humiditatem, et temperiem congruam in parte servat, saepius ideo renovandum, quum diutius relictum exsiccetur, et frigefiat.

Parantur cataplasmata coctionis ope ex mollibus fructibus, allio, cepa, additione aquae, vel alterius liquidi, ex farinis cerealium, seminum lini, mica panis, pulvere althaeae etc. Neque plura ex his simul immiscenda, ut nonnulli faciunt, quum unum, aut pauca certe sufficiant ad indicationem commode explendam.

Cataplasmata haec opportuna sunt pulveribus recipiendis, puta corticis peruviani etc.

Linimentum medium inter oleum, et axungiam habet consistentiam, viscidum est, unctione et appositione imponitur, hujusque usus late patet.

Mollis haec forma utilis, quando superficies oculi affecta est; hinc conjunctivae, margini ciliari palpebrarum etc. inungitur. Intermedia esse possunt axungia, butyrum, ovi albumen, quod tamen ob facilem exsiccationem rejiciendum.

Prosunt quoque eadem forma in mucosis narium, oris, faucium affectibus, ubi

vel unctione applicantur, vel penicilli ope admoventur.

At vero molli quoque forma occurrunt plura alia praeparata consistentia varia, interno usui dicata, cujus generis sunt electuaria, boli, pilulae, pastilli, looch etc.

Electuarium est medicamentum molle majorem ac mel habens consistentiam, quod nempe sibi relictum non diffluat. Constat pulveribus, gummi, conservis, melle, syrupo, vitello ovi, terebinthina, similibus inter se mixtis. Si autem ex radicibus, fructibusque conficitur, electuarium *conditum* nuncupatur, ex eadem ratione *conserva* dictum, ubi recipit flores, vel herbas in conservam redacta, *opiatum*, quia veteres hisce medicamentis opium admiscere solebant.

Bolus variam habet consistentiam, et formam, eamque molem, ut ore capi possit, et una, vel duabus vicibus deglutiri. Haec forma usitatior, ubi medicamenta ampliori egent volumine, odore, et sapore

ingrato praedita sunt, ac in aqua minime solvimus. Ad bolos conficiendos generatim mel, syrupus, pulpae vegetabiles insumuntur, atque ut facilius deglutiantur, nebula obvolvuntur, vel pulveri aliquo, aut saccharo obducti sumuntur.

Pilula ex pilae figura, seu globuli, *catapotium* etiam dicta, solidiusculae pastae habet consistentiam, sphaericamque formam, promteque deglutitur; hacque forma ingrata, amara, nauseosa facilius sumuntur, maxime si argento, vel auro bracteato vel glycyrrhizae pulvere obducantur, quo facilior reddatur glutitio, superbibendo dein gratam aliquam potionem, vel simplicem aquam.

Pastillus, seu *eclegma solidum* variam formam habet, consistentiae est solidae, ac saporem habet saccharatum. Ad hunc praeparandum ea potissimum seliguntur, quae saporis, odorisque sunt grati, quaeque intra os, et deglutitionis vias actionem debent exercere.

Constant itaque pastilli saccharo potissimum cum mucilagine juncto, quod varia proportione recipitur, prout magis, vel minus activum optamus medicamentum. Ita maxima est copia in pastillis de ipecacuanha, dum aequali parte insumitur in pastillis magnesiae.

Tabella vix a praecedenti, nisi forma differt, iisdemque usibus insumitur. Pasta quoque gummoso-saccharata molliori est consistentia, cetero naturae ejusdem ac tabella. Huc referendi *trochisci*, *morsuli*, *tragema*, *tragea* etc., composita nimirum solida saccharum praesertim, aliaque pro opportunitate recipientia.

Looch Arabis sic dictum, Graecis *eclegma*, Latinis *linctus* mediam habet inter mollia ac liquida medicamenta consistentiam, ex syrupis, ac mucilaginosis substantiis confectum, quod diu in ore, et faucibus servari potest, tum ad partium istarum, tum ad asperae arteriae, et pectoris morbos leniendos.

Sed solida quoque forma extant remedia, quae in mucosam crassi intestini membranam immittuntur, *suppositorii* nomine nota, quae conicam figuram habent, et minimi digiti crassitiem, variaque materie confecta; interdum ex sapone, sebo, aliave pingui substantia constant, ac in anum intruduntur.

Vix autem ab hisce, quoad formam, differunt sic dicta *pessaria*, quae vaginae induntur, vel *nascalia*, quando nimirum globuli, vel nodi figuram habent, et ex linteo raro cum inclusis medicamentis ad varia pudendorum vitia applicantur.

Liquida demum forma ea veniunt, quae aut sic naturaliter prostant, aut arte parantur, eaque vel extus cuti applicantur, vel orificiis, et aperturis naturalibus induntur, vel in aperturas morbosas injiciuntur.: vel ore intus assumuntur, ut varia potionum genera, mixturae, succi, infusa, decocta, similia, de quibus singillatim dicendum.

Liquidorum praecipuum intermedium est aqua; ea enim et dissolvens, et vehiculum praebet. Innumera corpora sunt, quae ab aqua dissolvuntur, non omnia tamen eadem proportione, ac temperie. Purior generatim aqua pro dissolutionibus eligenda; hinc stillatitia caeteris praestat, cui succedit pluvialis, aut fluviatilis.

Juxta variam corporum naturam diversus esse debet operationis modus. Maceratio enim, ac infusio magis conferunt, ubi vegetabiles substantiae exsiccatae sunt, quam ubi recentes. Aromaticarum substantiarum infusum vase clauso praeferendum. Maceratio sufficit pro amaro principio extractivo dissolvendo. Ubi vero extractivum, et tanninum oxygenatum dissolvenda sunt, ebullitio clauso vase facta requiritur. Quum volatile principium ex siccis plantis educendum est, maceratione saepe prius instituta, destillatione utimur.

Maceratio, infusio, ac decoctio extemporanea sunt medicamenta; distillatio au-

tem inter praeparata officinalia reponitur, quae diu servari possunt.

Liquidam etiam formam habent syrupi, qui generatim ex duabus sacchari albi pulverati partibus, ac una liquidi medicamenti, vario coctionis modo, ac tempore parantur; in universum haud valde activa medicamenta sunt, utpote quae non multam principii medicamentosi copiam continent, tum quia coctionis ope medicamenti vis enervari solet, denique, ni rite parati et asservati sint, valde facile altarantur, ut alienam indolem viresque adipiscantur.

Alcohol alterum ex menstruis est, quod frequenter medico usu recipitur, et pro vario concentrationis statu, variaque temperie, dissimili modo in diversa corpora agit.

Maceratione autem, digestione, ac destillatione insumitur: duo priora clauso vase fiunt; altera mariae balneo instituitur.

Omnia quae sic obtinentur alcoholis ope praeparata diversam, ob adhibitae substan-

tiae medicatae proprietates, vim praesefe-runt. Plura interdum sunt, quae parum activa, hinc praecipuam virtutem ab alcohole adhibito agnoscunt.

Oleum expressione elicitum incommodum intermedium est, quod facile rancescat, ast dissolvens est peculiare aliquorum corporum; dissolvit olea volatilia fugacia jasmini, aliarumque similium stirpium, tum oleum volatile, resinas, camphoram, phosphorum, sulphur: at vero extractivum simplex, aut oxygenatum, tanninum, fibrinam, gelatinam, mucilagines non attingit. Olea itaque hujusmodi tunc opportuna, quum rerum istarum solutio et extemporanea requiritur. Recens vero parata, nec rancida in usum ducenda.

Aether etiam, atque acetum vehiculo esse possunt nonnullis medicatis substantiis. Prius tamen ob vires, quas habet sibi proprias, valde immutare potest vires corporum, quae ab eodem dissolvuntur: alterum vero parum in usu, imo inutile dis-

solvens a nonnullis censetur, saltem usu interno.

Veniunt nunc inter liquida recensendi *succi* plerarumque stirpium, qui expressione eliciuntur, adjecta interdum aqua, vel calorici ope. Hi depurantur tum filtratione, tum fermentatione. Generatim succis utimur, quum medicatum principium consistit in ipso succo, quod exsiccatione stirpis amittitur; nam si de amaris succis loquamur, ii fere ingrato sunt aspectu, et nihil habent peculiare, quod maceratione, aut infusione earumdem stirpium exsiccatarum obtineri non possit.

Medicamenta porro, quae liquida forma exhibentur, vel *infusa* audiunt, ac interne assumuntur. Fiunt vero, quum aliquid medicamentosi ope liquoris alicujus e corporibus educimus, mediocris caloris subsidio. Infusum autem a maceratione et digestione distinguendum, quum prior frigido liquore fiat simplicibus affuso; altera vero aliquo adhibito, exiguo calore perficiatur.

Quod liquidum ex stirpibus coctionis, vel ebullitionis ope mediante aqua paratur, *decoctum* vocatur, quod *ptisana* dicitur, si tenue est, et ex cerealibus potissimum paratum, si vero diutius inferveat, ac plures substantias recipiat *apozema* nuncupatur.

Potiones istae ore sumuntur, saepiusque calentes propinantur. In morbis hypersthenicis praecipue conveniunt, quippe in aliis morbis magna quantitate epotae stomachum enervant, atque etiam non sat aegrotantibus gratae, neque expetitae.

Si decoctum ex carnibus, aliisque animalium partibus cum aqua fiat, *jus*, vel *jusculum* dicitur, quod ad majorem spissitudinem coctione redactum *consummatum* vocatur. Hoc quum frigefactum est consistentiam majorem acquirit, ac ut gelu firmatum se praebet, et *gelatina* appellatur.

Haec in morbis summopere utilia, quum et facile a stomacho ferantur, et blande nutriant.

Aliud potionis genus constituunt ea, quae *juleb*, *julab* Arabes, *julapium*, *julepum* Latini dixerunt. Dulces nimirum potiones ex aliqua blanda substantia paratae, ac saccharo, vel melle edulcoratae, quae magis gratae reddi possunt pluri saccharo, et aromaticarum substantiarum additamento.

Dantur remedia haec cochleatim sumenda in morbis praesertim, ubi sitis et calor moderanda, tussis consopienda, somnus conciliandus, prout nimirum ea medicamenta consociantur, quae uni, aut alteri indicationi satisfaciant.

Mixtura liquidi remedii genus quoque est, ex variis medicamentis confecta, quae tamen unciarum sex pondus haud excedat. Si pulveres continet, ii drachmas tres superare non debent, ac mixtura tunc ante usum agitanda.

Mixturae autem inertibus admodum rebus farciuntur, vel, quod pejus, inter se pugnantibus; ab his tamen miscelis sapiens semper cavet Medicus.

Quando mixtura ea tantum quantitate praescribitur, ut uno haustu capi queat, *haustus* tunc dicitur, tumque uncias tres haud excedere debet.

Tincturae nomine venit extractum liquidum coloratum, quod magnam virtutem medicatam continet. Si separata fuerit virtus medica alicujus medicamenti simplicis a reliquis principiis ejusdem, sine menstruo vel pauco adhaerente, *essentiam* nominant. Quod si medicamentum liquidum essentiae simile ex variis conflatum est, *elixir*, vel *clyssus* vocatur.

Emulsio potionis genus usitatissimum, ab *emulgendo* dicta, lacteum colorem referens, atque ex seminibus, nucleisque oleo divitibus parata affusione aquae vel simplicis, vel saepe stillatitiae.

Potio ista in acescentiam valdopere prona; hinc tantumdem parandum, quantum intra non multas horas assumi queat. Oleum mucilagine suspensum in aqua continet emulsio; hinc ejus vires, ususque facile intelliguntur.

Destillatione tandem liquida remedia interdum parantur, ut sunt *stillatitiae aquae*, vel *spiritus*, aut *olea volatilia*. Priores aut *simplices* sunt, si ex uno tantum vegetabili eductae; aut *compositae*, si ex multis paratae.

Magnus olim stillatitiarum aquarum numerus, nullaque fere vegetabilis substantia medico usu recepta, e qua stillatitia aqua non educeretur. At multis nunc utpote superfluis facile caremus, iis fere tantum retentis, quae aromaticis sensibilibus principiis imbutae sunt.

Destillatione quoque ex vino, similibusque fermentatis *spiritus ardens* obtinetur, *alcohol* nunc vocatus, vel destillando cum alcohole unum, aut plura aromata obtinemus *olea aetherea*, seu *essentialia*.

Externo usu valde frequenter liquida usurpantur. Hucque pertinent *balnea*, quando totum corpus mergitur, et *semicupia*, quando sedente aegro liquor tantum ad umbilicum pertingit; quando pedes liquido

merguntur, *pediluvia* vocant; si autem ex alto decidat aqua, plenoque gurgite, *stillicidium* nuncupatur; *aspersio* vero, quum dispergitur liquidum. *Lotiones* dicuntur, si linteis liquore madidis partes eluuntur. Quum denique calidus liquor ex infusis, aut incoctis herbis paratus in spongia, vel duplicatis linteis fovendae parti applicatur, *fotus*, vel *fomentum* humidum nuncupatur, quod modo aqua, modo etiam vino paratur. Hucque referenda dissecta calida viventia animalia partibus applicita.

Fomentum vero vel *vaporosum* dicetur, quando liquor ex variis decoctis paratus ad tantum calorem perducitur, ut vaporem emittat, qui conopeo, infundibulo, vel stragulis coercitus ad aliquam corporis partem dirigitur, vel ore aperto hauritur.

Siccum denique vocabitur, quum ex accenso alcohole, fumo aromatum prunis ardentibus inspersorum ambiens aer imbuitur, calescitque, qui dein aptis prae-

sidiis ad eam aegrotantis partem dirigitur, quae affecta est. Huc pertinent quoque *sacculi* calidi cum arena, furfure, cineribus etc.

Optima fomenta sunt calorem corpori conciliando : si humida sint, partes relaxant, et emolliunt ; si fotus fuerit siccus, roborat, et discutit, maximeque si aromatibus fuerit saturatus. Medium locum tenent fotus vaporum, qui etiam ore in pulmones ducuntur.

Ad liquida praeparata quoque pertinet *collyrium*, vel *collurium* dictum, quando scilicet oculis liquor instillatur, vel iis applicatur, aut eodem oculi eluuntur.

Qui interna narium abstergunt liquores, *nasalia* medicamenta dicuntur, quod vario modo efficitur, vel enim liquidum vola manus exceptum naribus attrahitur, aut fumus, vel vapor e liquidis assurgens adducitur.

Lavamentum interna oris attingens *collutio* dicitur, quum scilicet absque liquidi deglutitione os abluimus, ad locales harum partium affectus.

Ast si liquor intra os usque ad fauces deducatur, et gargarisando moveatur, *gargarisma* est, faucium morbis praesertim dicatum, saepiusque adstringentibus compositum.

Restat, ut de medicamentis dicamus, quae mediam veluti inter interna et externa naturam habent. Ad haec referimus *clysmata*, seu *clysteres*, aut *lavamenta*, quae nimirum injectione liquidi intra anum fiunt. Haec autem tepida, aut blande calentia injicienda; id vero boni habent, ut diluendo faeces induratas commode alvum ducant, tum etiam calido fotu interno leniant, et humectent, ulcera intestinorum consolident, aliaque praestent opportuniori loco dicenda.

Si liquidum intra cavitatem aliquam injiciatur, puta urethram, vaginam, uterum, interna aurium, tunc *injectio* appellatur, quae vario instrumenti genere perficitur, variisque ingredientibus morbi naturae accomodatis paratur.

Plurimi interim expedit scire ad remediorum quorumcumque administrationem valde conferre eorumdem temperiem, quod clinica experientia, et chymicarum proprietatum notione assequi licet. Ita aether haud calide ministrandus, quippe in auras abibit, antequam adhibitum fuerit; sunt alia contra, quae nonnisi caloris gradu intensiori suas vires explicant; ita cataplasmata emollientia calida partibus applicamus, non frigida. Sed et illud caloris actione fit, ut quaedam ingrata evolvantur, et difficilem tunc remedii administrationem reddant; sunt etiam casus, in quibus remedia majori temperie praedita esse debent. Ita senibus ac perinfirmis non frigidas, sed calidiuculas potiones damus. Medicamenta quoque aliqua sunt, quae generatim unam magis quam alteram temperiem desiderant. Ita adstringentia frigida potius sumenda; mucilaginosa modico caloris gradu imbuenda; pro varia etiam temperie alios edunt effectus medicamentosae

substantiae: aqua frigida copiose licet epota haud vomitum movet, tepida vero ciet. Salviae infusum prout calide, vel frigide sumitur, sudorem, vel urinas prolicit, similia.

CAPUT III.

De venenis generatim.

Quamquam difficile admodum sit aptam venenorum definitionem tradere, eam tamen dicemus, quae minus incongrua videatur. Quidquid nempe parva etiam adhibitum quantitate naturae viribus nequaquam subigi potest, vitamque in maximum adducit periculum, vel ejus destructionem minitatur, *venenum* appellamus.

Ex quo consequitur venena a contagiis esse distinguenda, quae nimirum ea fruuntur potestate, ut idem principium contagiosum, ut ita dicam, reproducere valeant, quod communicari corporibus op-

portunum evadit, quae proprietas haud in venenis deprehenditur.

Venenorum autem multae sunt species; quaedam enim nonnisi majori dosi occidunt, ut murias hyperoxygenatus hydrargyri: alia, nonnisi certo modo applicita, venena sunt, ut venenum viperinum, quod impune bibi dicitur, et vulneri inspersum enecat; dantur venena communia, quae cuique homini, et cuique animanti noxam inferunt, ut arsenicum; dantur venena relativa, quae soli homini, vel solis animantibus, quin et uni solummodo animantium generi infensa sunt, ut nux vomica, quae brutis, non aeque hominibus infecta; conii maculati semine sturni, daturae stramonii semine phasiani sine damno vescuntur. Dantur quoque venena, quae gazosa forma respirationis ope intra corpus admissa gravem noxam, mortemque ipsam inferunt; ex quibus omnibus patet, venena agere vel respectu dosis, qua exhibita sunt, vel respectu partis, cui ap-

plicita fuere, vel respectu animalis, a quo sumuntur.

Venenorum intus sumptorum signa ex sequentibus eruuntur: si sanus homo ex ingesto quodam cibo, vel potu, vel medicamento, aut re quapiam incognita repente cardialgia, vomitu, vertigine, spasmis, convulsionibus, animi deliquiis, aut sopore corripiatur; si labia, lingua, fauces, ventriculus, abdomen cum ardoris sensu intumescant.

Si quae egerit vomitu, vel alvo masticatam stirpem, vel radicem, vel fungum, succum, vel pilulam referant; si haec domestico cuipiam animali exhibita ipsum interimant, aut saltem gravissime afficiant, sique, quod probabilius est, ex botanica, vel chemica notitia venenata esse constet.

Si in denato homine ventriculus inflatus, vel spasmodice contractus, aut inflammatus vel gangraenosus, vel saltem maculatus invenitur, absque praegressa alia morbi caussa.

Multiplici vero via, ut diximus, in corpus admitti venena patiuntur, vel enim per os, et oesophagum sub forma cibi, potus, aut medicamenti in ventriculum demitti queunt, vel enematis ope in anum injici, vel naribus admoveri, vel in pulmones halitus ope transmitti, vel per applicationem integrae, vel laesae cuti factam intus traduci.

Quae venenis adversantur medicamenta alexipharmaca dicta sunt. Aliqua interim praesidia omnibus venenis aptantur, uti evacuantia, mucilaginosa, pinguia; alia vero, specifica dixerim, potestate venenum enervant, quod multiplici evenit modo; ut de venenis speciatim disserentes, ostendemus.

CAPUT IV.

De medicamentis speciatim.

Etsi proprietas illa praecipua, ob quam *viventia corpora* a *mortuis distinguuntur*,

et *incitabilitatem* Bruno, *vitalitatem* alii appellant, per omne corpus effusa est, quae stimulis lacessita in actum erumpat; nemo tamen inficias ibit, eamdem ita in peculiaribus organis esse temperatam, ut a quibusdam stimulis alia prae aliis peculiariter, ac specifico, dixerim, modo afficiantur. Nihil ergo mirum, si hoc principio ducti, substantias enumerantes, e quibus medicamenta eruuntur, ipsa eo tradentur ordine, quo propria, ac magis eminenti virtute singulari alicui systemati accommodentur, quod quidem jamdiu therapeutae, diversis licet, interdum etiam absurdis nominibus utentes, quandoque tamen effecerunt.

Quod si in remediorum tractatione plures substantias enumeramus eodem remedii titulo insignitas, ne quis miretur, quum ea vitalium virium proprietas sit, ut nec semper, quae uni prodest substantia, alteri accommodetur, et consuetudo saepe efficiat, ut uni assuetus remedio aeger non-

nisi alterius administratione afficiatur. Sunt interim remedia, quae licet eadem vi pollentia, tamen actionem potius super unum, aut alterum dirigunt organum, quemadmodum de nervinis, ac tonicis agentes jam patefiet.

MATERIES MEDICA.

MATERIES MEDICA.

SECTIO PRIMA.

DE REMEDIIS NERVINIS.

Latissime patens, ubique per humanum corpus diffusum nervosum systema supremum in animali oeconomia principatum exercere praeclarissimorum Physiologorum, Medicorumque subtilissimis tentaminibus, et quotidiana experientia duce, compertum est. Nulla quippe animalis corporis pars, quae plus minusve nervosi systematis actionem minime persentiat; nullum organum, quod nervis careat, nulla fortasse fibra, quae ad sensum, motumque aptitudinem ab eodem non recipiat; nullum, verbo, corporis punctum, quod nervorum imperium aliquando non sentiat. Quae et alia permulta vobis profecto ex physiologia praesertim notissima, neque hoc loco ideo dicenda, manifestissime ostendunt sensum, motumque a systematis nervosi actione unice regi,

ac gubernari, eademque deleta, naturam universam viventis corporis absque motu, vitaque consistere.

Ex quibus patet quantum intersit Therapeutae exactam, quoad fieri potest, de hocce systemate, ejusque viribus vitalibus notionem habere, ut aptas inde curandi indicationes possit eruere; hac enim neglecta, gravissimi errores in medicina exercenda eveniunt, morborumque naturalis typus saepissime pervertitur.

Quapropter aliqua hic generalia tantum delibabimus de cerebri, nervorumque statu pathologico. Qui quidem saepe obscurus adeo, et imperspicuus est quibusdam in subjectis, morbisque, ut difficile, ac perarduum omnino sit ejus mutationes pernoscere.

Missis itaque veterum hypothesibus, et recentiorum disputationibus, verosimile nobis videtur ad binas praecipue laesiones cunctos nervosi systematis affectus velut ad suprema capita posse juxta nonnullorum mentem reduci, ad vitia nimirum sensibilitatis, et contractilitatis. Hae siquidem vitales organicae animalis fabricae proprietates vel nimium concitatae, vel infirmatae, vel inordinatae totidem vitia constituunt, quibus emendandis omnia therapeuticae auxilia sunt advocanda.

Ex quibus jam liquet, *nervinorum*, etsi minus apto, vulgo tamen recepto vocabulo, eas nos indicare substantias, quae nervosam actionem aut nimium adauctam imminuunt, vel fractam exsuscitant, aut inordinatam ad naturalem typum reducunt, quae medicamenta *sedantia*, *narcotica*, *antispasmodica* etc. passim ab Auctoribus sunt appellata.

Quoniam vero organa sensuum a nervoso systemate proxime ac praecipuo magis modo regi videantur, eorumque vis, ac energia a cerebri virtute manat, quum ejusdem visceris cessante, aut vitiata actione memoratorum organorum vis similia experiatur; ita quae generatim sint morbosae eorumdem affectiones, quibusve modis sit occurrendum, ex dictis jam illucescit. Quibus brevissime indicatis, *nervinas* substantias ex vegetabili regno depromptas exponere aggredimur.

§. I.

DE OPIO.

Stimulantium, ut vocant, diffusibilium princeps, ac nervinum efficacissimum censetur opium, succus nempe, qui ex capsularum *Papaveris somniferi* L. incisione, vel earumdem expressione educitur.

Succus iste ex Persia, Arabia, aliisque calidioris Asiae locis, ubi memorata planta sponte crescit, in placentas rotundas complanatas ad nos advehitur, papaveris, nicotianae, rumicis, aliarumque stirpium foliis obductas. Resinoso-gummea substantia fere opium constat, quae colore donatur rubro fusco, odore admodum virulento, sapore nauseoso, amaroque, caloris sensum in lingua, ac palato post se relinquens. Eligenda levis, nullisque heterogeneis particulis inquinata, intense fulva, summeque amara, fractura nitens, valdopere odora, quaeque, dum comburitur, vividam, fuligineamque flammam edit.

Licet exacta principiorum, quibus constat opium, notitia a Chimicis adhuc desideretur, communi tamen consensu receptum est succum istum concretum extractivis resinosis partibus, ac non exigua gummatis copia, et sale compositum esse. Recentissime autem ex cl. Desrosne tentaminibus detectum est peculiarem substantiam salinam in eo contineri, cujus praecipuos tradit characteres; difficile admodum in aqua, facilius ab acidis solvi, et caloris actione materies quasdam praebere, ex quibus velut novum immediatum vegetabilium principium censeri mereatur. Omnia etiam instituta experimenta ostenderunt minime acidum esse, ut nonnulli Chimici pu-

tarunt, nec ejus cum potassa commixtio eas proprietates largitur, quae ex communi hujusce salis alkalini cum acidis miscela obtinentur; ex quo concludit nullum alium characterem salinum exhibere, praeter ejus *crystallisationem*.

Sal hoc insuper, ex ejusdem Auctoris experimentis in canibus captis, ea produxit phoenomena, quae ex majori opii assumta dosi oriri consuescunt, quaeque aceto etiam compescuntur. Quidquid tamen de his omnibus sit, plura adhuc restant scienda, antequam totam opii virtutem a sale isto praecipue repetendam esse credamus.

Qui jam effectus ex opio habeantur, quibus in morbis, quanta cautione, quove modo sit adhibendum, nec non aliqua ejus praeparata, nunc enarrandum.

Et primo quidem certum est ab opio sive in os indito, sive in anum immisso, aut vulneri, vel externis partibus admoto, tum in brutis animantibus, tum in ipso homine cordis, vasorumque motum intendi; constat Orientales populos, quibus vini usus religionis caussa interdictum est, opio sumto, hilaritatis sensu affici gratissimo, et ad munia obeunda alacriores evadere, et speciatim ferociores ad pugnam, atque ad venereas res fieri; quae tamen omnia post aliquot horas cessant, languore, morositate, somnolen-

tia, torpore etc. subsequentibus, perinde ac ex vini largiori potu contingere observamus. Ast, si in hisce consuetudinis vis plurimum potest, ut impune opio utantur, non ita tamen de iis dicendum, qui eidem substantiae haud assueti fuere. Tantus enim ab opio, exigua licet dosi assumto, collapsus producitur, ut mors non raro ipsa consequatur.

Mirantur ideo plerique, quod idem remedium vires vitales ita adaugens, sensibilitatem, ac contractilitatem dein infringat, sufflaminetque, quemadmodum, praeter allatos effectus, comprobant exempla animalium, quibus opio uberius intruso, vel in venas injecto, sensu ita destituuntur, ut lacerari, discindi, ac vellicari impune queant absque ulla doloris significatione; item visus, tactus, olphactus abolitio, tum sensuum imminutio, ac jactura, aliaque similia.

Sed et muscularem quoque contractilitatem ab opio labefactari deducunt ex abolito ventriculi, et intestinorum motu peristaltico, ex flatibus ibidem collectis, ventriculi languore, alvi tarditate etc.

Haec sedulo perpendentes, nullaque praeconcepta opinione ducti arbitramur, ex stimulanti actuosissima opii virtute promtissima, atque per universum systema immediate diffusa memorata

phoenomena esse repetenda. Unde intelligas, cur remedium hoc in morbis a debilitate pendentibus mirum in modum occurrat; cur hypersthenicis affectibus adeo infestum sit deprehensum; cur pauca dosi laetum stimulum, solatium impertiatur, majori vero gravem inferat labem, ut non modo sensum, sed irritabilem quoque musculorum demat facultatem; cur demum diuturno ipsius usu, stimuloque partes ad actionem ineptiores fiant, quod inter caetera varia cibarii canalis vitia patefaciunt.

Summa porro est opii cum vino similitudo, ac comparatio. Moderata quippe, et opportuno tempore exhibita vini dosi, exhilarat, roborat, firmat; majori obnubilat, inebriat, somnolentiam, artuum languorem parit, ipsamque apoplexiam producit, idque ex infirmata nimis, ac dixerim consumta ob stimuli vehementiam, vitali vi deducendum, nullus est qui dubitet.

Juvabit modo eos casus enumerare, in quibus opium conveniat, quod licet difficile statui possit, quum ob diversam aegri temperiem, ac innumera adjuncta dissimilis valde sit ejusdem agendi ratio; observatione tamen, et ratione duce, id definire nitemur. Atque in febribus quidem, si de iis loquimur, quas continuas nominant, etsi ob symptomatum naturam admodum variant, ge-

neratim tamen in iis videtur convenire opium; ubi evidentia debilitatis signa, vigiliae, anxietates, convulsivi motus, et dejectiones enormes urgent, nec ullus amplius hypersthenicae diatheseos metus adest; ideoque versus morbi finem potius, ac in ejus initio exhibenda, nec magnis illico dosibus administrandum, sed ab exiguis inchoandum, iisque saepe iteratis, additis sensim sensimque roborantibus substantiis, cortice peruviano, serpentaria virginiana, cascarilla, juribusque magis nutrientibus, quibus incitatae vires uberius, et constantius refocillentur, instaurenturque.

In febribus vero intermittentibus, et in perniciosis etiam, quae cum nervosi systematis laesione junguntur, remedium sistit egregium, modo affecti peculiariter cerebri, soporisque indicia absint; proficuum etiam est ad simplicium paroxysmum tollendum, dummodo convenienti dosi ante paroxysmi recursum exhibeatur. Peruviano cortici junctum ejus vim adauget, faciliusque a stomacho cortex in quibusdam fertur, itaut sub minori dosi febris reditum valeat impedire. Additur etiam cortici, quum ab hoc remedio diarrhoea excitatur, vel ab ejusdem praesentia metus est, ne protinus assumtus per alvum dejiciatur.

Nullomodo opii usum probamus in phlegmasiis,

nisi postquam opportunis venaesectionibus moderata est inflammationis vehementia, solaque manent existentis adhuc irritationis symptomata, vel quum bona suppuratio est allicienda; molestam quippe tussim valet temperare, expectorationem promovet, doloresque a suppuratione ortos lenit.

Opium quoque improbamus in iis exanthematibus, quae inflammatoriae sunt indolis, ut in rubeola, variola etc.; in hisce tamen, ubi vis languet vitalis, neque probe eruptio fieri potest, vel ubi, eadem peracta, animi affectus, anxietates, irregulares pulsus, similia ab ejusdem retrocessione exsuscitantur; tum in confluente variola, quae febri stipatur typhoidea, aut ubi pustularum suppuratio, egregie profuisse visum est.

Pleraque in Medicorum scriptis leguntur vim opii eximiam ad copiosos nimis sanguinis fluxus compescendos testimonia; hoc tamen summa cautione indiget, iisque tantum in casibus dandum, ubi nimia nervosa mobilitas est, vel vividus topicus dolor, aut peculiaris stimulus partem aliquam corporis divexat unice a nervosa caussa productus. Sic in haemoptysi, quae a vehementi tussi producitur, valet; et ubi metrorrhagia a nimia systematis universi, tum magna simul uteri debilitate fovetur, tam vacuo, quam gravido

utero, magna in opium fiducia est collocanda; simulque tunc cum peruviano cortice, vel quercino, cascarilla, in aqua cinnamomi spirituosa, vel elixirio vitrioli commixtum non paucis ex utero profluviis sistendis confert.

Prodest etiam opium in catarrho, atque ubi violenta tussis adest, recte ipsam moderatur, dummodo absit vehementia febris, aut hypersthenicae diathesis praesentia; hinc in phtisi pulmonum, vespertino tempore praesertim, tum ubi ad diarrhoeae colliquativae periodum morbus pervenit, proficuum censetur.

Juvat insuper in diarrhoea, ac dysenteria, quibus in morbis ceteris remediis palmam praeferre constanter vidimus, modo solum praescribentes, modo tonicis, amaris, adstringentibus remistum, dummodo tamen cum hypersthenica diathesi haud junctus esset morbus, nec a gastricae materiei praesentia sustentatus. Cholerae-morbo pariter opitulatur, vomitumque non raro compescit. Datur tunc tinctura thebaica ad guttulas xv prius, dein singula quavis horae parte ad x guttas vel saccharo instillata, vel aromatica aliqua stillatitia aqua commixta, donec vomitus cesset, nec ipso cessante, a remedio hoc abstinendum, sed intervallis sensim sensimque longioribus, ac minoribus dosibus per aliquot dies est exhibendum.

Neque despiciendus opii usus in syphilide; ad diros quippe hujusce morbi dolores leniendos, et nonnulla symptomata sedanda saepissime conducit; haud tamen virtutem eam possidet, ut tamquam specificum huic morbo debellando, quemadmodum nonnulli voluerunt, haberi possit, aut mercurio anteponendum.

Eminet porro opii vis potissimum in neurosibus. Hujus census sunt epilepsia, hysterica, et hypochondriaca passio, chorea sancti Viti, tetanus, trismus etc., verbo in iis nervosis affectibus convenit, quos spasmodicos, vel convulsivos appellant; cordis enim palpitationes, asthma ab irritatione productum, convulsivam infantum tussim (minime tamen sub ejus initio), pyrosim, colicos dolores mitigat, in hydrophobia ipsa etiam, ac podagra valde commendatur.

Hucusque de opii ore assumti effectibus; sed ad intestina enematum ope per anum deductum prodest; hac etenim via administrari potest, quum aeger ipsum respuit, vel vomitu afficitur, tantaque pollet ventriculi irritabilitate, ut ab opio male habeat; dupla tunc dosi adhibendum est, ac mucilaginosa aliqua solutione dilutum, exiguaque sub mole iteratis vicibus injiciendum, ne ob recti nimiam irritabilitatem, ac sensilitatem nimis cito expellatur. Hoc modo etiam atroces

dolores a cancro uteri productos sedat, tum etiam injectionis ope in vaginam immissum ad eosdem cancri dolores consopiendos valet; in gonorrhoea similiter in urethram injectum valdopere proficuum censetur.

Manifestam demum actionem exerit opium externae cuti applicitum, subjectarum siquidem partium dolores, nimiamque sensilitatem imminuit, imo ad remotiores etiam partes ejus actio propagatur; solet vero tunc vel emplastri forma adhiberi, vel alcohole cum gastrico succo solutum, aut oleo mixtum insumi.

Non una vero opii interius administrandi ratio: datur quippe vel sub forma solida, vel liquida. Priori modo facilius ab aegro sumitur, daturque a grano semisse ad gr. j. conservae alicui sociatum, vel in pilulas efformatum; juvat enim a minoribus dosibus, prout opus, iteratis, sensimque auctis, quam a fortioribus incipere, quae saepe periculo non carent.

Plura extant opii praeparata; usitatiora sunt extractum, quod multifariam paratur, ac tinctura, quae sub *laudani liquidi* nomine vulgo in officinis cognoscitur. Haec a guttis viij ad xij apto vehiculo diluta datur, commodumque, et praestans remedium est, cujus guttae xvi granum unum opii puri fere continent.

Syrupus, quem vocant, *de meconio*, seu *diacodii* mitissimum exhibet paregoricum, quod infantibus praeferendum. Datur vero ab unc. ij ad unc. iij. Hujus praeparati uncia quaelibet duobus opii granis respondere dicitur, at in praxi vulgaris syrupus meconii non tantas exhibet vires.

Plurima sunt praeparata officinalia opium recipientia. Haec inter celebrari merentur *Theriaca*, *Mitridatium*, *Electuarium Diascordii*, quorum virtus roborans, stomachica, antispasmodica summa est, danturque ab unc. ss. ad unc. j et ultra. Haec fere granum unum opii pro quaque drachma continent; hinc actuosiora reddi possunt opii puri additamento, quum volumen augere non volumus, ut non semel experti sumus.

Quanto autem utile, tantumdem nocens evadit opium temere administratum; scienda igitur quae in iis adjunctis praestent Medici, opii noxis compescendis; sunt haec vomitorium illico, quum licet, propinatum; acida quaecumque, et potissimum acetum aqua dilutum, stimulantia clysmata, frigida aura etc. Quum vero apoplecticus jam factus aeger, tamquam apoplexia sanguinea curandus morbus, sed fere semper irrita omnia.

Restat, ut pauca adjiciamus relate ad vires opio pene aemulas, quas exerunt capsulae *Papaveris*

Rhoeados (*) inter segetes adeo familiaris; extractum quippe ex iisdem paratum, per recentiorum experimenta, indole, et proprietatibus multum ad opium accedit, imo in quibusdam casibus sunt qui opio praeferendum esse contendant; quod non solum aegrotorum utilitati, sed oeconomiae etiam poterit inservire, ut sagacissime MARABELLUS adnotavit.

§. II.

DE AETHERIBUS SULPHURICO, NITRICO, MURIATICO, ET ACETICO.

Volatilissimum ac penetrantissimum remedium est aether, quo vocabulo designatur liquidum ab acidorum digestione, et destillatione cum alcohole emergens, album, diaphanum, leve, volatile, inflammabile, ac in vapores promtissime abiens, summopere odorum, saporis pungentis, quandoque grati.

Plures sunt aetheris species; omnibus tamen usitatior est *aether sulphuricus*, *vitriolicus* olim dictus, seu *naphta vitrioli*, cujus parandi modum, et chimicas proprietates omittimus, quum nostrum minime sit ea hic loci perpendere.

(*) *Madonne* vern., *Coquelicot* gall.

Inter validissima stimulantia et excitantia jure collocatur aether; nervorum quippe, musculorumque vires citissime erigit, ac stimulum ubique suum diffundit. Id autem cum reliquis stimulantibus commune habet, ut diutino nimis usu stomachi, adnexarumque partium vim destruat, praesertim si magna admodum copia sumatur. Nec etiam convenit, ubi summa nervosa mobilitas adest, vel internae partes inflammatione tentantur: aut ab iis causis morbus proficiscitur, quae exstimulantium remediorum usum ferre nullomodo queunt.

Frequentius utiliusque remedium sistit in morbis soporosis, apoplexia, paralysi, hysterica, atque hypochondriaca passione, febribus nervosis, flatulentiis, cruditate primarum viarum, verbo in iis aegritudinibus, quae a fibrarum laxitate, inertiaque foventur.

An vero ob acidi dissimilitudinem medicatis viribus inter se differant aliae aetheris species, nondum satis liquet; externo tamen usu omnes adhibentur: earumque utilitatem recentius agnoverunt in herniis incarceratis, in doloribus, ac contusionibus ortis, ac in rheumatismi et podagrae insultibus. Suffimigiorum forma in ea cynanches specie, quam trachealem vocant, seu *croup*, proficuas adnotarunt cl. Pinel, et Alibert.

Mitius auxilium praestat *aether sulphuricus alcoholisatus*, seu *liquor anodynus mineralis Hoffmanni*, cujus usus est frequentissimus, nec ea habet incommoda, quae a nimis stimulanti aetheris vi consequi possunt.

Datur aether a guttis xv ad xx, et etiam xl. Paullo majori dosi exhiberi potest *liquor anodynus*.

§. III.

DE CAMPHORA.

Quum substantia illa, quae *Camphorae* nomine venit non ex sola arbore *Lauro Camphora* a Linnæo dicta, ac in Japonia crescenti, sed a plerisque etiam stirpibus labiatis obtineatur, a Chimicis ideo velut immediatum principium nunc temporis habetur, maxime quod peculiaribus characteribus, ac proprietatibus gaudeat, ut cum reliquis plantarum principiis confundi nequeat. Id enim ostendunt odor camphorae proprius, fortis admodum, nec gratus, cui tanta tributa potestas, ut venereos impetus retundere vulgo creditum fuerit, quod notissimo carmine Salernitana schola cecinit.

Id ipsum confirmat sapor acris, pungens, amarus, summa ejus volatilitas, item acidum peculiare, quod ignis, et acidi nitrici actione praebet etc.

Quoniam vero ex memorata arbore in Bornei, Zeylonae, Javae insulis quoque crescenti, quam ex alia quapiam stirpe camphora elicitur, atque ad nos transvehitur, concrementi, seu placentae forma albae, levis, solidiusculae, tenacis, cum fragilitate tamen, pellucidaeque, tenuissimum halitum late effundentis; hinc desumtam eo camphoram in medicos usus adhibent, de cujus ideo medicatis viribus tam internis quam externis modo loquemur.

Potentissimum stimulans suppeditat camphora, quidquid contra scripserint Cullenus, aliique non incelebres Auctores; quod sane comprobant fervoris sensus, quem degustata excitat, dolor, et irritatio, quae ab eadem ingesta, Culleno ipso affirmante, in superiore stomachi orificio protinus inferuntur, cordis, vasorumque citatior motus, convulsiones, furores ipsi in animalibus ab eadem assumta concitati; insuper constat ab eadem ulceribus inspersa inflammationem, et irritationem inde subsequuta; quid ni igitur in homine ipso, post assumtam camphoram concitatior pulsuum ictus, et praesentis inflammationis incrementum, vel ejusdem ortus ex camphorae abusu, et deliria, aliaque plura hisce similia suborta stimulantem manifeste hujusce substantiae vim ostendent? Haec omnia praeterea tot,

tantisque celeberrimorum Virorum observatis, et quotidiana experientia docente firmantur, ut dubitari non liceat inter stimulantia, ac nervina efficacissima camphoram jure esse collocandam.

Et revera in iis morbis, qui a nervosa debilitate foventur, summum remedium est, in febribus adynamicis, et ataxicis, illisque phlegmasiis, quae febribus memoratis interdum sociantur, ac praesertim in cutaneis exanthematibus difficile erumpentibus, aut subsidentibus, vel retropulsis, ut eadem ad cutim protrudantur, vel revocentur.

Neque inutilis deprehensa est camphora in hystericis, et hypochondriacis affectibus, in spasmodicis, ac convulsivis motibus; in ipsa etiam epilepsia valdopere commendatur.

Podagricos quoque dolores lenit, usu etiam externo, dum affectae partes linimento eadem peracto illiniuntur, quod tamen cautione indiget.

Strangurias a cantharidibus ingestis, vel parti alicui applicitis ortas camphoram compescere traditum est; nec desunt historiae, quibus conclamati ab eo veneno aegrotantes camphorae ope restituti sunt.

Vermibus infensa camphora est, et utiliter adhibita ad ascarides lumbricoideas expellendas; daturque vel ore sumenda, vel in anum clysteribus mixta injicitur.

Plerisque substantiis misceri camphora solet, puta opio, peruviano cortice, purgantibus ipsis, sed ingrata admodum substantia ab aegris saepius respuitur.

Varia porro esse solet camphorae dosis, ejusque administrandae ratio. Generatim exiguae doses parum agunt, nisi frequenter iterentur; hinc si manifestus, ac citus desideratur effectus, ad scrupulum unum praescribenda, nec tamen ultra, ne forte gravia inde mala nascantur; quibus ideo devitandis juvabit ipsam minoribus, sed frequentibus dosibus porrigere, eo vel magis quod ejusdem effectus fugax admodum sit.

In ejus vero assumtione cavendum, ut rite soluta propinetur, secus enim superiori ventriculi orificio molesta reddetur, seu quia magis nuda stomachum contingit, seu forte etiam quia utpote levior innatat, facileque sursum rapitur; apposite ideo in mortario vitreo cum saccharo subigitur, vel cum vitello ovorum, aut mucilagine quavis, sicque emulsionis forma porrigitur.

Non minus externo, quam interno usu laudatur actuosa ista substantia; in rheumatismo enim, et in ischiade, eadem alcohole soluta partes illiniuntur; resolventibus quoque emplastris miscetur, similiterque putridis, sinuosis, fungosis, vetustis, atque in gangraenam, vel cancrum tendentibus

ulceribus admovetur; pertinacibus item tumoribus discutiendis, oedemate affectis partibus, chronicae ophtalmiae, anginae praesertim serosae, glandularum, ut vocant, infarctubus, similibusque pluribus optime accommodatur, et varia forma, sed praesertim oleo olivarum et ammoniaca in linimentum notissimum redacta illinitur.

§. IV.

DE LACTUCA VIROSA.

Venenata certe nullo non tempore habita est *Lactuca virosa* Linnæi, quae ad opium sophisticandum, ob vires, quas eidem analogas crediderant, olim insumebatur. Haud rara in Pedemontio stirps locis umbrosis, et ruderatis.

Succo lacteo scatet, quod principium resinosum continere videtur in alcohole solubile. Succus hic valde accedit ad opium, similibusque usibus inservire traditur. Majori tamen dosi dari potest; imo constat cl. Collin ad octo grana dedisse primis diebus, sensim sensimque aucta dosi ad drachmam unam, alteramve in inveteratis abdominalium viscerum infarctubus. Observatum tamen vehementioribus dosibus laedi aegrotantes, nausea, et vertigine inde suscitatis.

Eamdem vim possidet *Lactuca Scariola* Linnæi in ruderatis saxosis minime rara, de qua planta monendi Pharmacopolae, ne *Sonchi* loco ipsam adhibeant.

§. V.

DE ASSA FOETIDA.

Gummi-resina veteribus admodum celebrata non modo ut medicamentum, sed ut ciborum condimentum, quae ex Persia ad nos advehitur in frusta flavescentia, pallide rubra, atque albis granis interspersa, vehementem valde, foetidumque nidorem alliaceo odore junctum spirans, acris simul et amara, *Assa foetida*, vel *stercus diaboli* vulgo audit in officinis, et ex umbellata planta elicitur, quae *Ferula Assa foetida* a Linnaeo nuncupatur.

Ex hujusce analysi chimica constat principium gummosum multo majori copia inesse, ac principium resinosum.

Tamquam optimum, ac magnopere actuosum nervinum medicamentum habetur assa foetida; unde in spasticis affectibus, in hysteria praesertim, et convulsionibus immediate succurrit, asthmaticis quoque prodest, et expectorationi favet.

Anthelmintica etiam virtute praecellit assa foetida, quo scopo eamdem utiliter adhibuimus in synochis, typhisque, quando a vermium praesentia cruciatus, et convulsiones ipsae inducebantur; quo in casu feliciter quandoque opium ipsi consociavimus.

Datur remedium istud sub forma solida, vel convenienti menstruo dilutum. Priori in casu minus promte agit; ejus autem tinctura, aut spiritus volatilis citiorem actionem exerit in nervosum systema. Hujus cum spiritu cornu cervi connubio epilepticos accessus praeverti testatur Weichard.

In substantia a scrup. ss. ad scrupulum unum datur. Tinctura a scrupulo uno ad drachmam unam, vel duas exhiberi potest.

§. VI.

DE ARNICA.

Montana, et alpina regionis nostrae prata exornat *Arnica montana* Linnaei, cujus flores praesertim magni fiunt a Medicis, utpotequi acrem, aromaticum odorem nares vivide percellentem effundunt, unde *tabaci* nomen ab alpicolis inditum, qui hac planta, *nicotianae* loco, utuntur sive ad fumum hauriendum, sive ut pulverem tritae

plantae naribus attrahant ad sternutationem movendam, uti apud Lappones in more est, Linnæo ipso referente.

Cl. Bouillon-Lagrange chemicam hujusce stirpis analysim instituit, traditque ejusdem infusionem coloris esse obscuri, plurimamque amaritiem habere. Videtur insuper acidum continere, maximam cum acido gallico analogiam habens, licet haud omnibus cum eodem proprietatibus conveniat.

Efficacissimum nervinum, ac stimulans praebent flores, magnisque adversus paralysim laudibus elati, velut tutum admodum, validumque praesidium; sed ob id ipsum multa cum cautela arnica administranda, quum ab ipsa nervi valide percellantur; recte propterea perpendendus debilitatis modus, ne forte dosibus, uberioribus nimis cito exhibitis vires magis pessundentur, pejorque reddatur morbus.

Arnicae radix velut antisepticum habita: sed peruviano cortice minus vires quoque remissiores habet, ac flores, qui in febribus intermittentibus, ac quartana febre feliciter usurpati memorantur.

Varia forma, varioque modo adhibetur arnica; vel enim in infuso dari possunt flores a drachmis duabus ad tres, partitis tamen vicibus, quum

majores doses aegre ferre soleant nostrates, vomitu, cardialgia, atque anxietate excitatis; vel extractum ab iisdem paratur, daturque a drachma semisse ad drachmam unam in aliqua grata stillatitia aqua solutum. Pulverati flores in opiatae formam cum syrupo quodam, aut melle commixti dosi granorum aliquot omni trihorio exhiberi possunt; nec desunt qui ad perniciosos gangraenae effectus coërcendos arnicam cum camphora junctam, nec immerito, commendaverint.

§. VII.

DE CHAMOEMELO.

Praestantissima planta, et veteribus dudum maximo in pretio habita, nec non hisce temporibus jure adhuc celebrata est Chamomilla, cujus duae in officinis recipi species solent, *romana* scilicet, ac *vulgaris*. Prior *Anthemis nobilis* a Linnæo dicitur, ac in calidis regionibus, et Nicaeensi agro luxuriat, atque in hortis colitur; alia vero *Matricaria Chamomilla* ab eodem laudato Viro appellatur (*), atque in arvis ubique, et inter segetes copiosissima occurrit, ac priori, licet potentiori, efficaciorique, solet apud nos substitui.

(*) *Camamia* vern., *Camomille* gall.

Tota planta odorem subaromaticum spirat, et amari saporis est. Flores autem prae foliis efficaciores habentur, ac medico usu insumuntur. Oleum essentiale destillatione praebent, quod communiter eleganti coeruleo colore praeditum est, atque ex aëris, et lucis contactu facile immutatur. Parum caeterum hucusque ex Chimicis innotuit quoad reliqua florum principia.

Nervis admodum amici sunt chamoemeli flores, nec stomacho ingrati; hystericis, hypochondriacis prosunt, imo in iis casibus, ubi vel caput vertigine tentatur, aut convulsivi, vel spasmodici motus occurrunt, nullum fere apud nos magis commodum, aut magis opportunum remedium, quam simplex chamomillae infusum aquosum, quod aliquando saccharo edulcoratur, vel syrupo corticis aurantiorum gratius redditur, cuique addi pro adjunctorum opportunitate possunt plura alia nervina remedia, uti aether sulphuricus, liquor anodynus mineralis Hoffmanni, laudanum liquidum etc., quae nervinam, exstimulantemque vim insigniter augent.

Febribus praeterea intermittentibus mirifice prodest chamoemelum, atque insigni ideo febrifuga vi gaudet, unde inter egregia peruviani corticis succedanea reponitur. Antiseptica quoque eximia vi pollet, nec non inter emmenagoga

recensetur; non modo enim uteri spasmodicos motus consopit, sed et ejusdem vasorum actionem, fluxumque ciere videtur.

Convenit vero valde in colica, ut ajunt, flatulenta, ac demum in iis omnibus affectibus, in quibus aromatica, antispasmodica, simulque tonica praesidia indicantur.

Extus porro sive in sacculis, sive in fotu, vel in emplastro, aut etiam suffumigii forma adhibetur chamoemelum, et velut discutiens, ac resolvens habetur; hinc ad tumores solvendos, ad dolores ex contracturis genitos leniendos usurpatur; pulvis etiam sordidis ulceribus detergendis inspergitur; juvat praeterea in ventris doloribus, si ejus decoctione abdomen foveatur, vel clysmatibus recipiatur.

Dantur in pulverem triti flores ad drachmam unam, ac duplo majori dosi in jusculis, aut calenti aquae infunduntur. Aqua stillatitia florum ab unciis duabus ad uncias sex praescribitur, sed minus efficax, ac infusum rite praeparatum, quod semper praeferendum, si stomachus, et peculiaris aegri idiosyncrasia ferant; multoque jure anteponendum vulgaribus illis ptisanis, et decoctis, quae ex inertibus saepe plantis, vel stomacho gravibus parari consuescunt.

Extractum chamoemeli ut optimum febrifugum

a nonnullis habetur, sed minus tamen efficax credimus, ob insignem volatilium partium jacturam, quae locum habere debet, ubi praesertim haud sat diligenter fuerit paratum. Datur a drachma semisse ad drachmam unam.

Oleum coeruleum chamoemeli linimentis resolventibus utiliter adjicitur, ac in torpore, et rheumatismo laudatur. Opportunis menstruis instillatum in flatulentis imi ventris affectionibus datur, guttarum aliquot dosi.

Eodem, quo superius diximus, scopo interdum apud nos solet alia *Matricariae* species adhiberi, quae *Parthenium* a Linnæo dicta est, et nunc *Pyrethrum Parthenium* est cl. Wildenow. Provenit haec planta sat frequenter in pinguibus umbrosis ruderatis, et in hortis generatim excolitur; medium inter tanacetum, et chamomillam locum tenet, viresque habet antispasmodicas, antisepticas, emmenagogas. Datur ex aqua, aut jusculo decocta dosi manipuli unius; aut succus propinatur ab uncia una ad uncias duas.

§. VIII.

DE MENTHA.

Omnes Menthae species dudum veteribus maxime celebratae. Has inter praestantissima medico usu censetur, quae *Mentha piperita* (*) a Linnæo vocatur, in Anglia sponte locis humidis crescens, et apud nos in hortis exculta.

Vehementi odore pollet camphorato, nec injucundo. Sapor eidem pungens, et aromaticus; linguae apposita insignem prius calorem prodit, quem gratus dein frigoris sensus consequitur.

Praeter crystallos camphorae similes, quas olim ex peculiari hujusce plantae encheiresi Gaubius obtinuerat, quod inventum recentius Proust confirmavit, adstringenti principio etiam scatet, quod sulphatis ferri additione manifestum fit. Tam aqua, quam alcohol, hoc tamen potentius, aptiusque medicamentosis menthae principiis imbuuntur.

In febribus praesertim nervosis, aliisque morbis a debilitate nervosa fotis valde laudata *mentha piperita*, quae ubi exsiccata, vel in pulverem trita fuerit, scrupuli unius dosi omni bihorio datur, vel, quod frequentius, in infuso theiformi porrigitur.

(*) *Menthe poivrée* gall.

Aqua stillatitia in officinis parata gratissimum vehiculum praebet aromaticis, amaris, ac tonicis aliis pluribus substantiis; raro enim sola usurpatur.

Reliquae Menthae species, ut *sativa*, *viridis*, *crispa*, *sylvestris*, *Pulegium* etc. regionis nostrae indigenae stimulantem plus vel minus jucundam virtutem exerunt, eodemque modo ac *piperita* exhibentur.

§. IX.

DE SALVIA.

Magni usus est *Salvia officinalis* (*) LINNÆI, quae tum ad usum culinarem in hortis excolitur, tum etiam utpote praesidium egregium habetur in plerisque gravibus morbis. Haec autem sponte locis apricis calidioribus provenit, praesertim in agro Nicaeensi, Liguria, imo et in ipsa Augustana valle apud nos occurrit.

Folia potissimum hujusce plantae usurpari solent, in quibus et odor, et sapor principia valdopere activa ostendunt, unde mirum non est, si tamquam nervina, tonica habeantur, praesertim si recentia fuerint.

Principio scatet amaro, et adstringenti simul

(*) *Sauge* gall.

cum aromatico junctis ; duo priora ab aqua, aromaticum ab alcohole educitur. Aqua stillatitia valde odora est. Continet insuper salvia oleum volatile, in quo, perinde ac in aliis labiatis stirpibus, camphora reperitur. Acidi gallici praesentia ab affusa solutione sulphatis ferri in salviae infuso detegitur.

Eximiis ditatam viribus, adeoque a Medicis nullo non tempore celebratam adversus cunctos morbos valere a nonnullis adeo creditam, ut *sacram* ideo *herbam* appellaverint, Auctores testantur ; nec ignotum quantum de ipsa carminibus cecinerit Salernitana Schola. Revera tonicum egregium eadem praestat, neque adeo facile despiciendum, ut nostris diebus fieri solet ; ejus proinde folia, si recentia sunt, nervinam vim validissime exercent, qua in febribus ataxicis et adynamicis dictis sive sola prosint, sive ad aromaticas potiones hisce in morbis congruas acuendas usurpari commode queant.

Nec minus efficax salvia, ubi post nervosi generis febres, aliasque digestionis vires adhuc languent, vel mentis functiones nondum satis integratae sunt ; infusum tunc ex hac herba paratum, apto simul regimine consociato, valdopere utile deprehenditur.

In neurosibus porro, ut in paralysi, vertigine,

artuum tremore, similibusque a nervorum debilitate pendentibus utiliter etiam adhibetur.

Sunt qui in febribus intermittentibus infusum vinosum ex foliis paratum, ac duorum, vel trium cyathorum dosi hora una aut duabus ante paroxysmum exhibitum feliciter usurpasse testantur.

Nec desunt qui in chronicis leucorrhaeis, quae praesertim in melancholicis, debilibus, ac desidibus foeminis contingunt, salviam pariter commendant; quin et in phthisi ipsa pulmonari, ubi sudoribus nocturnis aegri conficiuntur, salviae usum proficuum esse suadent, eo vel magis si vino, et alcohole infusa praebeatur. Ast in priori casu haud ipsam sufficere credimus, neque in hoc postremo, ubi maxime arens, sicca, urensque cutis est, et a pulmonis labe morbus pendet, convenire posse censemus.

Externo usu salvia utiliter adhibetur, ut collutorium, in gingivarum laxitate, uvulae procidentia, ac cum melle, et vino mixta in infantum aphtis commendatur.

Vino quoque decocta ad balnea roborantia, tonica insumitur.

Modus administrandi varius; vel enim in aqua infusa *theae* ad instar adhibetur; hacque forma frequentius usurpatur, et velut theae succedanea habetur. Vinum ex salvia paratum in hydropicis,

ac scorbuticis admodum laudatur. Aqua salviae stillatitia vehiculum praebet pluribus aliis substantiis tonicis excipiendis. Oleum essentiale duarum, aut trium guttarum dosi cum ovi vitello, et saccharo mixtum sumitur.

Apud Chinenses valde aestimatur salvia, eademque nicotianae loco utuntur, tum ad fumum hauriendum, tum ad alios usus plures.

Indigenae nonnullae aliae Salviae species prostant, ut *Sclarea*, *verticillata*, *pratensis*, et *Horminum*; sed minus ac praecedens gratae sunt, minoribusque viribus gaudent, adeoque haud facile priori substitui queunt.

§. X.

DE ROSMARINO.

Percelebris veteribus frutex *Rosmarinus* est, ita dictus, quod in maritimis locis crescens rore frequentius obtectus reperiatur. *Anthos* autem Graecis dictus ob florum praestantiam; et *Libanos*, vel *Libanotis* ab iisdem nuncupatus, quod olibani ad instar gratum suffumigium praebet.

Ex Chimicis constat aquam parte aliqua amari extractivi principii imbui, hancque infusionem ferri sulphate obscurum colorem acquirere.

Alcohol resinosum principium extrahit admodum odorum, exigua tamen copia. Oleum essentiale ex Rosmarino eductum odoris est valdopere grati. Cl. Margueron nuperrime adnotavit oleum volatile hujusce plantae decomponere nitratem mercurii, muriatem hyperoxygenatum mercurii, sulphatem flavum mercurii, et muriatem antimonii caustici; ejusque colorem plurimum ab aqua calcis immutari.

Perinde ac Salvia, tonicum optimum praebet Rosmarinus in nervosis morbis ex debilitate proficiscentibus commendabile. Asthmati spasmodico confert, et chlorosi cum abdominalium viscerum infirmitate, ac sensibilitatis aberratione juncta succurrit. Infusum vinosum in chronicis diarrhaeis, quae vires frangunt, ac marasmum minitantur, utiliter datur.

Folia, et flores Rosmarini dosi pugilli unius, vel alterius in libra una ebullientis aquae theiformi infuso exhibentur; oleum essentiale aliquot guttarum dosi cum ovi vitello adhibetur.

Ad fotus roborantes conficiendos perinde ac salvia usuvenit, atque unum ex praecipuis ingredientibus est vulgatissimi praeparati, quod *Aqua Reginae Hungariae* audit.

§. XI.

DE LAVANDULA.

Odoris suavitate praestans admodum planta in apricis locis abunde nascitur ad montes subalpinos regionis nostrae, quae *Lavandula Spica* (*) a Linnæo nuncupatur.

Folia, et flores saporem habent amarum, calidumque, et aquosa eorum dissolutio ab additione sulphatis ferri viridem obscurum colorem obtinet. Alcohol etiam aliqua extracto-resinosi principii parte imbuitur. Oleum essentiale proportionibus varium; modo citrini coloris est, odoris lavendulacei, sed fortioris, ac saporis amari. Hoc autem decomponit muriatem hyperoxygenatum mercurii, ac ad mercurii dulcis statum convertit; praecipitatum rubrum ejusdem mercurii in griseum mutatur; et notum est ex cl. Proust oleum hujusmodi quartam ipsius ponderis partem ex camphora esse.

Raro intus *Lavandula* adhibetur, licet nervina insigni vi gaudeat; convenit in ataxicis, aliisque nervosi generis febribus. Item in torpore, paralysi, vertigine; in syncope quoque in iis subjectis, quibus nervi admodum debiles sunt, vel qui tristibus animi affectibus conflic-

(*) *Lavande* gall. *Lavanda* vern.

tantur. Cavendum tamen, ne iis detur, in quibus aliqua in capite congestio metuenda.

Sacculis receptae, vel fotibus insumtae *Lavandulae* summitates externo usu adhibentur in rheumatismo et oedemate, roborandi scopo.

Aqua stillatitia, oleum essentiale, conserva, ac spiritus *Lavandulae* in officinis servantur. Aqua cum spiritu vini parata ab uncia una ad duas datur. Conserva florum a drachmis duabus ad drachmas sex. Oleum sumitur a guttis duabus ad sex. Hoc autem, quemadmodum et spiritus externe potius in paralysi, aut alicujus partis debilitate applicatur.

Easdem vires exerit *Lavandula Staechas* Linnæi, *Staechas arabica* in officinis dicta, quae in apricis maritimis Nicaeesis agri, ac in Gallia meridionali, Hispania, alibique nascitur, licet in nonnullis casibus haec priori soleat substitui, ut in iis spasmodicis ventriculi affectibus, ex quibus vomitus quandoque excitatur.

§. XII.

DE THYMO.

Culinis notissima planta est *Thymus vulgaris* (*) L. in calidioribus apricis locis sponte luxurians.

(*) *Thym* gall. *Timid* vern.

Ejus sapor aromaticus est, acris, pungens, aliquantisper amarus; odor fragrans et aromaticus, parum suavis. Oleo essentiali abunde scatet, et camphora, quam in fundo vasis, paucorum dierum spatio, deponit.

Vires *Thymo* insunt nervinae, stomachicae; hinc in morbis a nervosa debilitate pendentibus, necnon in stomachi imbecillitate prodest.

Roborantibus, aromaticis fotibus, balneisque parandis inservit.

Plurimum, quoad vires suas, ad *Thymum vulgarem* accedit alia *Thymi* species, *Serpyllum* (*) a Linnæo dicta, quae ubique in pascuis, et declivibus apricis sterilibus potissimum reperitur, gratoque odore citrii pomi fragrantiam aemulatur, extus potissimum in contusionibus, et ad tumores serosos resolvendos vulgo insumitur.

Aqua benedicta Serpylli in officinis prostat alias aromaticas stirpes quoque recipiens, qua debiles, et paralyticae partes utiliter irrorantur; quaeque etiam in rheumatismo chronico, aliisque similibus a debilitate ortis affectibus laudatur.

Oleum aethereum Serpylli in dentium carie utile est, doloresque inde genitos interdum mitigat.

Hic memoranda etiam planta sat ad sepes,

(*) *Serpollet* gall. *Srpò* vern.

secus vias, in dumetis, et in clivis saxosis in regione nostra obvia, *Origanum vulgare* a LINNÆO vocata (*), acris, et aromatica, ac oleo essentiali abunde scatens, quae ad menses pellendos, ad fotus, et epithemata roborantia, ac discutientia haud inefficacem operam praestat.

Potiori autem jure esset referenda alia *Origani* species, quae *O. Dictamnus* dicta est a LINNÆO, et *Dictamnus creticus* in officinis nuncupatur in Cretae et Candiae insulis crescens, valde antiquis celebrata, cujusque laudes elegantissimis carminibus MARO persequitur; sed quoniam in solis curiosorum hortis colitur, solaque majori fragrantia a vulgari origano discrepat, hinc de eadem alia nunc non adjungemus.

Cum Thymo demum viribus convenit *Satureja hortensis* L. (**) in Nicaeensi agro, et pluribus Pedemontanis, calidisque locis oriens, et in hortis ad culinarem usum exculta; quae et grate nervos recreat, et menses ciet, et stomachum roborat.

(*) *Origan* gall. *Cornabusa* vern.
(**) *Sarriette* gall. *Serea* vern.

§. XIII.

DE MELISSA.

Vulgatissima in umbrosis collibus, ad sepes, et vias, ac secus nemora occurrit *Melissa officinalis* Linnæi. Suavi ea pollet odore ad citri odorem accedente, unde *Citronellae* nomen in officinis ipsi tributum.

Parva, juxta nonnullos, essentialis olei quantitate scatet *Melissa*, unde nervinam fugacem ejus virtutem repetunt; cetero in hysteria, cordis palpitatione, spasmodica cephalalgia, cardialgia etc. non inutilem.

In hunc finem infusum herbae aquosum praesertim commendatur; *aqua enim stillatitia melissae simplex* vix activa est; non idem dicendum de *aqua melissae composita*, quae in officinis extat, pluresque activas aromaticas, exoticasque substantias recipit, quae et longe potentior et praestantior est, ac simplici ideo anteponenda.

Alia autem in umbrosis subalpinis locis occurrit Melissae species, quam *grandifloram* dixit Linnæus. Haec destillata aquam odore, et sapore suo aquae stillatitiae *Menthae piperitae*, superius traditae, pene aemulam suppetit.

§. XIV.

DE AURANTIO.

Cuique notissimi fructus, succi suavitate, fragrantia, aureoque corticis colore summe commendabiles, *Aurantii* nomine indigitati; de quibus alibi; nunc de eorumdem tantum cortice, ac praesertim de *Citri Aurantii* (*) Linnæi foliis, floribusque, prout medico usu inserviunt, dicemus.

Gratum amarorem praesefert cortex iste aromatico simul, ac fragranti principio commixtum: qui stomachicus est, roborans, ac flatus discutiens; cui etiam vis febrifuga tributa est, nec immerito. Siccatus hic cortex plurimum virium suarum amittit, ac in pulverem redactus ad drachmam unam bis terve de die sumitur; si autem vino infusus fuerit, efficacior redditur.

Syrupus ex eodem cortice paratus opportune aliis remediis adjicitur, quibus aromaticam, jucundamque fragrantiam conciliat.

Frequenti in usu sunt folia aurantiorum, quae aromatica, et nervina virtute gaudent, adeoque in epilepsia praesertim laudantur, quamquam et

---

(*) *Oranger* gall. *Sitron* vern.

in aliis nervosis morbis pluribus commendentur. Haud raro cum *Valerianae sylvestris* radice commiscentur, eorumque diuturnus usus minime in dictis morbis spernendus.

Folia haec in pulverem trita a drachma semisse ad drachmam unam dantur. In infuso pugillum unum foliorum pro qualibet aquae libra adhibetur. Decoctum insuper parari solet, quod gratius redditur vel corticis aurantiorum additione, vel vino rubro generoso, et saccharo adjectis, singulis diebus majori, vel minori dosi sumendum, aut cum chocolatae, si lubet, potione commixtum.

Prostat in officinis *aqua foliorum aurantiorum*, quae paullisper aromatica est, parum tamen efficax, licet summopere a nonnullis Medicis laudata. Potius ea, quae ex floribus destillationis ope elicitur, praeferenda, quae antispasmodicis medicamentis miscetur, ac in affectibus nervosis convenit, ut tamen memores simus, hystericas quasdam mulieres ab ejus odore vehementer etiam turbari.

§. XV.

DE VALERIANA SYLVESTRI.

Ob eximias vires, quibus *valere* credita, nuncupatam putant *Valerianam*, stirpem scilicet in

sylvis coeduis, vel ad earumdem oras frequentem, ac in montanis pratis obviam, quae in officinis *Valerianae sylvestris* nomine vulgo cognoscitur, atque a LINNÆO *Valeriana officinalis* nominatur.

Ejus tantum radix in usu est, quae, ubi opportuno tempore collecta fuerit, praesertim quum caulem nondum emisit, ac bene siccata, probeque servata, aromatico, penetranti, camphorato odore pollet, quo feles delectantur: ejus sapor urens, amarus, salsus, ingratus; oleo volatili scatet camphorato, et principio extractivo.

Optimum sistit Valeriana adversus complures morbos praesidium. Anti-epilepticam virtutem primus in eadem detexit summus Italus Botanicus FABIUS COLUMNA, quemadmodum videre est in suo *Phytobasano* pag. 97. Hystericae affectioni pariter, nimiaeque nervorum mobilitati mirum in modum occurrit; juvatque in hemicrania, paralysi, aliisque nervosis morbis: ac in typhis ipsis a BURSERIO summopere commendatur, in quibus et anthelminticam quoque praestat virtutem.

Infantibus succurrit, quando convulsivis motibus, ac vermibus divexati corripiuntur; quibus in casibus sub pulveris forma cum lacte propinata, eodem mox laudato Viro teste, mirifice prodest.

Praestantior eam administrandi modus est in substantia, quam in infuso, nec parcioribus adeo dosibus exhibenda, ut vulgo a Medicis fieri solet, si optatus effectus expectetur, sed largioribus concedenda.

In pulverem ideo trita radix a drachma una ad drachmam unam cum semisse dari potest in aqua, aut vino suspensa, vel molli substantia mixta, vel in bolum, aut electuarium redacta. Infusum aquosum vase clauso ea proportione parandum, ut 100 aquae partes 20 valerianae recipiant. Tinctura alcohole parata validius, et efficacius praestat medicamentum.

Eaedem fere vires sunt *Valerianae Phu* Linnæi Alsatiae, et Silesiae indigenae plantae, ac in hortis excultae; potiores autem ostendere videtur altera adhuc Valerianae species in editissimis quibusdam nostrarum alpium jugis excrescens, quae *Valeriana saliunca* dicta est a praeclarissimo Allionio nostro; fortissimus enim, ac intensissimus odor, quem effossa radix diffundit, nec in herbariis, diu licet servata, amittit, easdem confirmare creditur.

Neque viribus caret *Valeriana celtica* Linnæi in alpinis pascuis, et speciatim in Monte Cenisio abunde nascens, licet tamen haud praeclaras adeo credamus, ut nonnullis placuit.

§. XVI.

DE CALAMO AROMATICO.

Radix *Calami vulgaris* officinarum, seu *Acori Calami* Linnæi ex India Orientali olim mittebatur; non deest tamen in fossis, ac stagnis Europae, imo in valle Macrae lectam stirpem locis spongiosis tradit celeberrimus Allionius (*).

Huic odor gratus, aromaticus, ac, nisi vetusta radix sit, vel carie exoesa, acritate sua linguam vellicat, salivamque prolicit. Tonica, stomachica, emmenagoga promta, ac intensa, sed fugax virtus ipsi tribuitur. Hinc in morbis a gastrica debilitate proficiscentibus, in chronicis mucosae intestinorum membranae phlegmasiis, necnon in febribus intermittentibus, quae cum universi systematis infirmitate stipantur, in haemorrhagiis passivis, in verminosis affectibus celebratur.

Datur in substantia a scrupulo uno ad drachmam unam; in infuso a drachma una ad drachmas duas, vel tres. Masticata suave sialagogum praestat, maxime si saccharo condita fuerit.

(*) *Flora Pedem. vol. 2 n.° 2090.*

§. XVII.

DE ANGELICA.

Ob miras virtutes suas *Angelica* dicta est umbellifera planta in septentrionalibus praesertim Europae plagis luxurians, quam *Angelicam Archangelicam* vocavit Linnaeus.

Radix potissimum usuvenit, cujus sapor dulcis cum suavi amaritie junctus deprehenditur. Masticata linguam, et palatum vellicat, ac salivae secretionem prolicit; hinc ut optimum sialagogum habetur.

Ex hujusce radicis incisione vernali tempore instituta, succus prosilit luteus, unctuosus resinoso-gummeus, quae principia ab aqua et alcohole educi patiuntur; hisce autem menstruis, ubi dissolvitur, colorem impertitur.

Tonicum, et nervinum egregium constituit, ac stomachicum. Convenit in ventriculi imbecillitate, ac in ea cephalalgiae specie, quae a ventriculi debilitate producitur, in parce fluentibus, vel suppressis menstruis, pulmonum catarrho ab atonia sustentato, ac in scorbuticis affectibus.

Siccata radix unciae unius dosi in aquae fontis libra una decocta, vel infuso datur; atque macerationis ope in alcohole essentiam praebet gra-

tissimam, cujus dosis in apto vehiculo est drachmae semissis.

Tenera caulis frusta, vel ejusdem plantae petioli saccharo condita bellarium praebent egregium ad foetentem oris halitum corrigendum, et ad digestionem promovendam perutile.

Aliquando apud nos alia Angelicae species, quae *sylvestris* dicitur a LINNÆO, ad Pedemontanas fossas minime rara priori substituitur, minus tamen activa, nec multum in usu. Potius *Imperatoriae* radix, quae ex subalpinis, ac montanis locis in officinas nostras traducitur viribus suis ad Archangelicam accedit, ejusque defectum potest supplere. Ad umbelliferas quoque pertinet haec planta, quae a LINNÆO *Imperatoria Osthrutium* nuncupatur.

§. XVIII.

DE ANISO.

Ad Pimpinellae genus relata est planta Ægypti, Syriae, ac Orientalium regionum incola, alibi quoque in hortis exculta, quae *Pimpinella Anisum* a LINNÆO dicitur, et *Anisi* simpliciter nomine in officinis cognoscitur, cujus semen medico usui insumitur.

Aromaticum suave, ac pergratum exhibet in iis morbis praesertim laudatum, qui a deperdito stomachi, ac intestinorum tono sustinentur. Flatus quippe discutit, ac inter egregia carminativa merito reponitur.

Hujus seminis saporem, ac odorem fere aemulatur fructus arboris cujusdam in Japonia, China, ac Philippinis insulis crescentis, quae *Illicium anisatum* vocatur a LINN. Fructus hi, qui *Anisi stellati* nomine in officinis prostant, virtutibus suis cum *Aniso vulgari* conveniunt: sed gustui gratiores, et carminante vi efficaciores. Masticati oris halitum gratiorem reddunt, deglutiti ciborum digestionem adjuvant, et languentem stomachum roborant.

Recentissime cl. VENTENAT in nitidissimo opere *Horti Celsiani* plantam describit sub nomine *Illicii parviflori*, fruticis in Florida detecti ab illustri Botanico MICHAUX, cujus fructus aeque ac *Illicii anisati* fructus aromatici sunt, paribusque usibus queunt inservire.

Succedanea apud nos habentur, licet minori fragrantia, minorique gustus suavitate, iisdem tamen viribus pollentia semina *Cari Carvi*, *Æthusae Mei* in alpibus sat frequentium stirpium, tum semina *Anethi graveolentis* (*),

(*) *Aneth* gall. et vern.

Coriandri sativi (*) etc., quorum pleraque inter *semina calida majora* dicta in officinis cognita.

§. XIX.

DE FOENICULO.

Tam radix, quam folia, et semina *Foeniculi* (**) medico usu recepta. Ad umbelliferas stirpes pertinet ex *Anethi* Linnaeano genere, quod meridionalibus regionibus, necnon quibusdam calidioribus Pedemontii locis reperitur, atque in hortis fere ubique colitur.

Oleum essentiale gratissimum Foeniculi semina destillatione praebent. Radices autem alcoholis ope exiguam resinae leniter amarae copiam suppeditant. Parum materiei extractivae aqua educit.

Diu a Medicis tamquam carminativum summum habitum est Foeniculum. Tonicam reapse egregiam, ac fere, dixerim, specificam vim exercere videtur in nervosis morbis, quibus viscera imi ventris torquentur, quemadmodum contingit in hypochondriasi, hysteria, ac colicis infantum doloribus a nervosa causa sustentatis. Quod enim

---

(*) *Coriandre* gall. *Cojendre* vern.

(**) *Fenouil* gall. *Fnoj.* vern.

de antiflatulenta hujusce plantae vi dicitur, id obscurum admodum; tam enim a debilitate abdominalium organorum aëris evolutio fit, quam ab eorum interdum irritatione; unde, si in priori casu aromatica, exstimulantia, tonica conferunt, laxantia potius, et sedantia in altero prosunt.

Ad lac in mulieribus augendum dudum a veteribus, impensiusque fortasse celebratum Foeniculum; diuretica etiam se se commendat virtute, quo in casu semina videntur radici anteponenda.

Itali plantam hanc valde in deliciis habent, eamque tum in acetariis insumunt, tum secundis mensis apponere solent. Basis siquidem petiolorum et caulium plurimum crassescit, et instar *Apii palustris*, seu *celeri* albescit, ita ut tunc dulcedinem cum aromatica gratia junctam exhibeat admodum suavem.

Tota planta in infuso datur ab uncia una ad duas in aquae libris duabus. Radix in decocto potius exhibetur. Aqua stillatitia foeniculi ad plura excipienda velut tonica adhibetur, frequenterque in collyriis usurpatur. Oleum essentiale ex seminibus elicitum saporis, et odoris est valde grati; a duabus ad tres guttas porrigitur.

§. XX.

DE TILIA.

Umbellatarum stirpium actionem aemulatur *Tilia*, cujus flores medico usu recipiuntur. Arbor autem est *Tilia europaea* (*) a LINN. dicta, quae in Europa ad sylvas, et ambulacra ubique fere reperitur.

Principium mucilaginosum copiose ex floribus Tiliae educi potest.

Velut antispasmodicum jucundum habentur Tiliae flores, ac frequentissimo usu sunt adversus cunctos nervosi systematis chronicos affectus.

Aqua stillatitia Tiliae, quae in officinis paratur, admodum iners: infusum ideo jure anteponitur, cui addi potest aqua florum aurantiorum ad majorem gratiam potioni inde paratae conciliandam.

§. XXI.

DE CINNAMOMO.

Non condimenti tantum suavitate, sed et optimi medicamenti efficacia merito celebranda pergrata substantia *Cinnamomi* nomine insignita,

(*) *Tilleul* gall. *Tiglia* vern.

cortex videlicet arboris in meridionalibus Zeylonae plagis, in Javae, Sumatrae, Malabariae, ac in Philippinis insulis crescentis, quae *Laurus Cinnamomum* a Linnaeo vocatur.

Cortex iste generatim tenuissimus est, substantiae fibrosae, ac fragilis, coloris extus rubicundo-flavi ad obscurum vergentis; saporem prius subdulcem, pungentem dein, et aromaticum praebet. Viliori pretio est cortex, qui crassus, et durus, colore magis obscuro donatus, valde linguam cum ardore vellicat, amaritiem, et visciditatem post se relinquens.

Vires hujusce corticis pendent a volatili principio, quod destillatione obtinetur; quamquam non diffitendum aromaticam facultatem aquae minime denegare.

Vis stimulans, roborans, ac praesertim stomachica eminet in cinnamomo; hinc in ventriculi debilitate a mucosae cibarii canalis membranae atonia pendente plurimum commendatur. Ad hunc finem pluribus consociari solet medicamentis, et speciatim peruviano cortici, ad intermittentes febres coërcendas. Nec raro, ob peculiarem, quam ipsi vulgo tribuunt in uterum actionem, ab obstetricantibus ad foetum expellendum in summis partus nixibus et laboribus consuescit adhiberi.

In pulverem tritum Cinnamomum bolis additur, opiatis, similibusque, paucorum granorum dosi. Solum enim raro datur, quo in casu ad drachmam semissem exhiberi posse censent auctores.

Commodior, valdeque efficax methodus est Cinnamomi tincturam alcohole paratam praescribere ad aliquot guttas in aquae melissae, vel menthae unciis quatuor cochleatim sumendam, quae stimulans promtum, diffusibile, nec ingratum suppeditat.

Aqua lactiginosa Cinnamomi minus actuosa, et ad uncias duas cochleatim sumenda dari potest. *Spirituosa* sic dicta vehementius agit, ideoque minori dosi praescribitur. Oleum essentiale raro ob pretium in usu est; syrupus Cinnamomi sapidissimus analepticis, ac stomachicis addi solet cum ad gratiam, tum ad eorum vires acuendas.

§. XXII.

DE MARRUBIO.

Labiata planta est *Marrubium vulgare* LINNAEI (*), quae in calidioribus regionis nostrae locis obvia est, acris, amara, et subaromatica, cujus principia alia aqua, alia vero alcohol extrahit.

(*) *Marrube* gall. *Marroubi* vern.

Innumerae, et egregiae a veteribus tributae vires Marrubio; debile tamen juxta nonnullos subsidium, praesertim in pulmonum congestionibus, et in phthisi. Haud tamen inficiandum ob amarum, et subaromaticum principium valere posse in quibusdam morbis a debilitate natis, puta in viscerum imi ventris obstructionibus, in amenorrhoea, nec non in chronicis pectoris morbis, ubi roborantia requiruntur.

Datur in infuso aquoso, vel vinoso. Extractum Marrubii parum efficax, nisi addito alcohole cum aqua paratum fuerit. Dosis est a drachma semisse ad drachmam unam.

§. XXIII.

DE PAEONIA.

Parum nunc usitata est *Paeonia officinalis* L., nonnullis in montibus regionis nostrae crescens, ac in hortis praesertim exculta, cujus vires debiles admodum arbitramur, licet a pluribus Medicis valdopere elatae fuerint in epilepsia, aliisque spasmodicis affectibus.

Radix potissimum usurpatur, quae pulverata, ac in bolum redacta ad drachmam semissem datur; stomacho tamen inimica, nauseosa, nec raro vomitum movens; hinc suspicione non carens, adeoque, uti et congeneres plures ex medicamentorum censu rejicienda.

EX REGNO MINERALI.

Minerale quoque regnum plures substantias suppeditat nervinis viribus praeditas; quoniam vero nonnullarum actio adhuc dubia, usitatiores tantum hic memorabimus. Sunt autem:

§. I.

DE SUCCINO.

Antiquissimis temporibus notissimum, et a poëtis dudum celebratum bitumen est *Succinum*, seu *Karabe*, *Electrum* quoque sic dictum, quod fricatu electricum evadat, et paleas, aut levia alia corpora attrahat.

Concreta, fusco-lutea substantia est Succinum, quae in frusta diversae magnitudinis, formaeque reperitur, praecipue ad litora maris Baltici, et Mediterranei. E terrae quoque visceribus quandoque effoditur in Gallo-provincia, Italia, Polonia, Borussia etc., hocque formicas, muscas, aliaque insecta interdum continet. Igni injectum flammam luteo-viridescentem edit, validum, suavemque aromaticum odorem emittens; saporis est nauseabundi, potiusque acris.

Ex Chimicis parum admodum innotuit hucusque quoad succini naturam. Juxta cl. FOURCROY, magna oleosae materiei proportione cum acido succinico dicto commixta constare videtur. Ferri etiam aliquas continet particulas, ac terream substantiam, cujus natura adhuc est incomperta. Oleum hocce succini essentialibus oleis valde analogum eorum odorem, ac volatilitatem refert, inflammabile est, et alkalinis substantiis junctum sapones conficere videtur.

Velut egregium antispasmodicum praedicatum fuit in morbis capitis, nervorumque. Parcior tamen hodie ejus usus esse solet. In gangraena legimus utile deprehensum fuisse, sed neque hoc satis adhuc experientia confirmatum.

Datur succinum in substantia a granis viij ad scrupulum unum; sed hac forma fere inefficax a multis creditur; aptius in suffimentis adhibetur. Frequentioris usus est ejus tinctura, quae ad xx guttas circiter exhibetur, et quandoque ad drachmam semissem, necnon oleum essentiale a guttis tribus ad vj in aliquo congruo vehiculo. *Syrupus de karabe* acido liquido succini, et opio paratus, commodum remedium antispasmodicum suppeditat; extat denique alia satis nota praeparatio, *Aqua Luciae* dicta, ir-

ritans admodum, nervosque exstimulans, quae in asphyxia naribus utiliter admovetur.

Hoc loco minime praetereunda *Ambra grisea*, et *Petroleum* ad bitumina quoque spectantia, licet nunc e medicamentorum censu, etsi minus recte, pene exulent. Prior dosi granorum IV ad grana XXX ad nervosum systema excitandum, firmandumque laudata fuit. Alterum vero externo fere usu adhibitum est. Veteres eo utebantur ad partes a frigore defendendas, ut nasi apicem, manuum, et pedum digitos; pernionibus quoque dispellendis cum duabus spiritus salis ammoniaci partibus permixtum, et ad membra gelu constricta restituenda potens subsidium censetur. Mulierculis vero usitatum apud nos, nec inutile remedium, vermibus necandis externo ejusdem circa abdomen litu.

§. II.

DE ZINCO.

Metallum lamellosum, album, aspectu nitens, ex coeruleo argenteum, tenax, difficile, nec nisi adhibitis quibusdam artificiis in pulverem contundendum, Zincum est, cujus variae sunt apud Mineralogos species. Abunde in natura, nun-

quam vero purum invenitur, ejusque in Saxonia, Anglia, Gallia etc. extant fodinae.

Ignis vi facile liquatur Zincum, atque dum comburitur, flammam elegantem pallide virentem exhibet, albos floccos in altum actos ostendit, qui praesertim usu medico veniunt sub nomine *florum* seu *oxydi Zinci*, vel *lanae philosophicae*, aut *lunae fixatae Ludemanni*.

Innumera sunt, quae apud auctores, nec incelebres medicos leguntur de Zinci florum viribus antispasmodicis. Sunt qui epilepsiae quasi specificum commendarunt, atque in tetano etiam, convulsivis quibuscumque morbis, chorea sancti Viti etc. laudavere; alii e contra non solum de irrito hujusce remedii usu vehementer conquesti sunt, sed quadam dosi porrectum veneni ad instar agere, vomitione nimirum, diris stomachi doloribus, ventrisque excitatis torminibus adnotarunt. Quibus in ambagibus quid sentiendum sit, libere aperiam; summa nempe cautione, tum praesertim quum incassum tentata fuere alia praesidia in memoratis morbis, et exiguá grani unius, vel alterius dosi adhibendum; forte etiam hoc remedio tuto medicina careret.

Extrinsecus adhibiti flores Zinci adstringenti vi pollere dicuntur; praecipue vero *sulphas Zinci*, seu *vitriolum album*, tum injectionis ope in

chronicis gonorrhaeis, et leucorrhaeis usurpatum; oxydum Zinci aliis admixtum metallis, aliisve saepe rebus, Tutia vocatum in collyriis optimum sistit remedium, ubi scilicet ulcuscula ab inflammatione relicta sunt abstergenda, atque exsiccanda, tum in diuturnis oculorum inflammationibus ad duo, tria grana in quavis stillatitiae aquae vel rosarum, aut euphrasiae, similium uncia solutum egregie mederi affirmatur. In ulceribus demum, scopo tantum adstringendi, quin suppuratio prohibeatur, aut solum, aut unguentis junctum admovetur.

§. III.

DE BISMUTHO.

Serioribus temporibus notum metallum fragile, lamellosum, nitoris ex argenteo ad luteum vergentis, valde ponderosum, *marcasitae argenteae*, *plumbi cinerei*, *antimonii albi*, *demogorgonii* etc. nominibus cognitum, *Bismuthum* nunc simpliciter a Chimicis appellatur. Hoc, si clausis vasis vehementi igne torqueatur, in vapores abit, ac superiori apparatus parti adhaerens in crystallos nitentes figitur.

Raro metallica forma medico usu insumitur

bismuthum, sed sive interno, sive externo usu adhibetur ejus praeparatum, quod *Magisterium Bismuthi* dicitur, quodque a cl. Oddier commendatur contra morbos a nimia nervorum sensibilitate proficiscentes, ac in ventriculi potissimum spasticis constrictionibus, dummodo haud cum visceris istius notabili labe, aut aliis malis conjunctus sit morbus. Commendatur insuper in hysterica affectione, in turbis fluxus muliebris, in colicis doloribus etc.

Quidquid sit de viribus, quas huic praeparationi tribuunt, haud temere tamen dandum suademus, et scopo potius roborandi, aut adstringendi, ubi morbus ab infirmato fibrarum robore ortum duxit. Datur autem a grano uno ad duo cum tantillo sacchari, modo bis, modo quater intra diem, aucta sensim dosi usque ad scrupulum unum; neque tamen semper fidum et constans in memoratis morbis auxilium suppeditat.

Externo usu tamquam cosmeticum habetur *oxydum*, seu *calx bismuthi*, quod ejus albedo levissime in rubedinem humanae, sanaeque cuti propriam inclinet. Ad hunc finem cum aqua quapiam, vel odorato unguento cuti illinitur, eoque utuntur praesertim mulieres ad eas foeditates velandas, quae ab impetiginibus, aliisque ejusmodi cutis vitiis relictae sunt. Sciendum tamen diu-

turno usu sive perspirationi obicem ponendo, sive cutim ipsam duriorem, nigramque reddendo nocere. Nigricandis etiam capillis quandoque usurpatur.

§. IV.

DE PLUMBO.

Venenata substantia in nervos praesertim agens *Plumbum* est, quod velut stupefaciens, ac sedans generatim habetur, adeoque ad hanc remediorum classem referendum putavimus, eo vel magis quod in medicina usu fere tantum externo adhibeatur.

Est autem plumbum, sive *Saturnus*, cujus feraces valde in natura extant fodinae, metallum nitoris griseo-obscuri coerulescentis, valde ponderosum, molle, ductileque, parum sonorum, igne facile liquandum, saporis acris, odoris ingrati. Multiplices praeparationes ex hoc metallo in usus medicos parat chemia, vario ejus cum oxygenio connubio. Hujus generis sunt *Lithargyrium*, seu *Oxydum plumbi semivitreum* modo albicans, modo flavescens, quod tandem fortiori oxygenii additione rubrum evadens, *Minium*, seu *Oxydum plumbi rubrum* constituit.

Acidis solutum plumbum *sulphatem*, *nitratem*, *muriatem plumbi* etc. suppeditat. Cum aceto commixtum acetates praebet; cum phosphoro, sulphure, aliisque metallis jungitur.

Quamquam plura de viribus plumbi intus adhibiti Medici scripserint, internum tamen ejusdem, et saliformium praesertim praeparatorum usum omnino improbamus. At vero de eodem extus apposito aliter sentimus.

Etenim laminae plumbeae ulceribus utiliter imponuntur tum ad ipsa contegenda, et aëris contactum arcendum, tum ad comprimenda aperta vasa, cruoremque ex illis manantem sistendum; cicatricibus insuper levigandis, protegendisque, neque novum est galericulum ex plumbea lamina fonti pulsatili infantum imponere. Crassiores, et ponderosiores laminae gangliis, osseisque tumoribus aptantur; eisdemque usi veteres ad tumidas glandulas discutiendas etc.

Dictis plumbi praeparatis accensenda *Cerussa*, nempe *Oxydum album plumbi* cum acido acetoso, quae in lenibus ulceribus etiam saniem fundentibus, prurigine, impetigine, ac infantes toties afficiente intertrigine commendatur. Non omittendum hic loci *Balsamum Saturni* ad fungosa ulcera, et fistulas, vel *unguentum de minio*, ac *unguentum de Lithargyrio*, et similia,

quae ad ulcera exsiccanda, atque implenda, ut ajunt, solent usurpari. Quamvis non dissimulandum, saniores practicos metuere in horum usu, licet externo, ne sorbentia vascula ad interiora virus saturninum deferant, gravi quandoque cum aegrotantium detrimento, sed et illud fatendum saepissime impune adhibita fuisse. Iidem quoque non facile foeminis saturninos fucos ob eamdem causam concedunt ad cutis vitia occultanda, quemadmodum *Lac virginis*, seu *acetis plumbi*, addito alumine, aqua solutus, cujus usu cuti albedinem, nitoremque student conciliare, quum ab hisce gravia exoriri mala queant.

Multi tamen usus est generatim *aqua vegetomineralis*, aut *saturnina* Goulardii, ex acetitis saturni uncia semis in libris duabus aquae stillatitiae rite commixta. Haec enim veluti temperans, discutiens, exsiccans, et adstringens habetur. Hinc in contusionibus, erysipelate, in testium tumoribus, atque inflammationibus, in chronicis oculorum vitiis; ulceribus, fistulis, in gonorrhaea ipsa, non tamen in primo ejus stadio laudatur.

Consimiles huic vires obtinent alia praeparata saturnina, inter quae merito collocanda forent *extractum*, et *saccharum saturni*, quorum virtus adstringens, exsiccans valde nota; item in-

signis unguentorum numerus, cerata, emplastra, similia pluraque saturnum recipiunt.

Dicendum esset nunc fortasse de deleteria plumbi natura, agendique modo, sed haec aliunde possunt hauriri, et praesertim ex elementis Chemiae cl. Collegae mei BENEDICTI BONVICINI (*).

EX REGNO ANIMALI.

Animale regnum plura etiam remedia exhibet quae ob foetidas, odorasque materies, quas ab animalibus substantiis eruimus in systema nervosum efficaciter operantur, cujusmodi sunt sequentes.

§. I.

DE AMMONIACA.

Quod *Ammoniacae* nomine Chimici intelligunt, quum liquida forma exhibeatur, *alkali volatile fluor* dictum est, cujus vires potentis-

(*) *V. Elementi di chimica farmaceutica ec. tom. 2 pag. 335 et seq.*

sime exstimulantes, diffusibilesque nemini haud notae. Eo siquidem vix naribus admoto, ii, qui mephitico viru oppressi, submersi, refrigerati, aut aliter laesi asphyxia, vel apparente morte detinentur, aut paralysi, sopore, aliisve morbis, ubi vehemens stimulus indicetur, laborant, excutiendos, concitandosque vel naribus admotum, vel intus sumtum mirifice praestat.

Ob facultatem summe incitantem, qua pollet, ad systematis exhalantis vires erigendas quammaxime valet, hinc in morborum cutaneorum curatione utile.

Tamquam antidotum adversus serpentum, viperarum, ac venenatorum insectorum morsus praedicata est ammoniaca.

Datur decem ad duodecim guttarum dosim in aliqua potione, uti florum sambuci, vel melissae, similiumque stirpium. Id autem animadvertendum, ut ob summam suam volatilitatem haud affundatur, nisi eo momento, quo sumi debet.

Linimentum volatile adeo in quibusdam casibus proficuum, ubi resolvens efficacissimum requiratur ex ammoniacae drachma una, et olei olivarum unciis tribus conficitur, cui nonnulli viginti camphorae grana in stillatitia aromatica aqua soluta addere solent, ut alibi diximus.

Minorem vim exerere videtur *carbonas am-*

moniacalis, *alkali volatile* etiam dictum. Dosis est a granis sex ad decem, daturque vel cum extractis commixtum, vel in vehiculo aqueo solutum.

Postremis hisce temporibus huic substantiae summa, egregiaque virtus tributa est a Siculo eximio Doctore Lapira in haemorrhagiis quibuscumque, etiam arteriosis, sistendis. Experimenta quippe sat accurate, felicissimoque cum eventu habuit in canibus, ovibusque, quibus cruralem arteriam resecuerat. Quae experimenta a cl. Pulli Mediolani postea repetita fuere maximo cum successu. Solvitur ad hunc finem in tripla sui ponderis aquae fontis copia, ac lintea in eadem mersa solutione sauciatis vasis apponuntur.

Acetum denique *ammoniacale*, seu *Spiritus Mindereri* minus, ac praecedentia salia ammoniacalia actuosum habetur, utilissimum tamen ad blandam perspirationem promovendam subsidium. Datur idem a drachma semisse ad drachmam unam in ptisanae libris duabus, vel cum decoctione sarsaeparillae, guajaci, aut in tiliae, sambuci, similium infuso, aut cum aqua stillatitia eorumdem.

§. 11.

DE MOSCHO.

Odora admodum, ac fragrans substantia, quae in *Moschi moschiferi* LINNAEI umbilicali funiculo residet, *Moschus* in officinis nuncupata, pinguis, ac sebacea materies est, quae in Thibet, Russia, ac Sibiria ad nos advehitur. Ea autem in grumos coloris obscuri, saporis amari, aliquantisper acris prostat; odore eadem est, quo nullus est praestantior, unde fit, ut heterogeneis etiam substantiis adulterari pretiosissima haec merces patiatur, quin tamen validum suum amittat odoramen. Tunquinensis Moschus, qui in sacculis inclusus est, solet praeferri.

Tenuibus adeo, mobilissimis, oleosis, volatilibus particulis constat Moschus, ut late sibi circumfusam atmosphaeram suo imbuat odore, quo nares vividissime percelluntur; hinc a physicis pro summa materiae divisibilitate ostendenda in eorum experimentis accipitur.

Etsi vero nondum satis exacta habetur chemica Moschi analysis, censet tamen celeberrimus FOURCROY, eamdem resinosum corpus esse volatilissimum, ac odoratissimum oleum continens cum extractiva substantia, ac quantitate aliqua

salinae materiae conjunctum. Id enim confirmatum esse contendit ex Moschi viribus medicis, ejusque admodum celebratis qualitatibus, tum ex vehementi, tenacique ipsius odoramine. Partim in aqua, partim alcohole solvitur, in aethere, in oleis fixis, et volatilibus.

Velut eximium nervinum promtum, ac diffusibile jure habitus Moschus est; eo enim intus, exigua licet dosi assumto, cerebri, nervorumque vires immediate recreantur, cordis, et vasorum motus intenditur, totumque uno verbo systema admodum suscitatur. Nihil itaque mirum, si languidis, debilibus, hystericis, hypochondriacis, melancholicis, ac paralyticis subveniat; si sopore detentis, typhis, variolis ex retropulso exanthemate, aut difficile erumpente laborantibus egregie auxilietur, ipsisque epilepticis interdum profuerit.

Contraindicatur ideo ejus usus in subjectis, quibus vitae vigor summus, ac florens aetas est, ac ubi hypersthenica urget affectio.

Moschi utilitatem in podagra Pringle testatur. Cullenus quoque hunc morbum ad stomachum versum pluries se curasse fortioribus Moschi dosibus affirmat, et capitis dolorem, et delirium ex eadem caussa pendentia magnis moschi dosibus sustulisse asserit. Cui quidem atroci morbo

radicitus tollendo licet moschus haudquaquam sufficiat, ei tamen summopere leniendo, ac moderando, ejusque paroxysmis mitioribus reddendis inservire nonnullis in casibus compertum habuimus.

In hydrope ascite, in diarrhoea inveterata, similibusque chronicis affectibus cum debilitate junctis prodesse plurimum solet moschi cum aliis tonicis miscela. Utiliter siquidem cum scilla, et digitali miscetur ad urinam ciendam, ac laxatas partes firmandas; vel cum simaruba, angustura sub boli forma exhibitus diarrhaeae rebelli opitulatur.

Ad febres ipsas intermittentes curandas utilis deprehensus est, eo potissimum in casu, ubi jam fractae nimis febrium pervicacia aegrotantium vires consueta remedia ferre nequeunt; cum peruviano enim cortice mixtus, vel solus etiam ante ipsum adhibitus moschus valdopere profuit.

Celebratus demum fuit moschus in hydrophobia, maxime si primis morbi diebus, primisque hydrophobiae apparentibus symptomatibus praebeatur vel solus, vel cum camphora junctus. Hactenus vero non sat observationum habemus, ut huic uni praesidio in tanto morbo fidere possimus.

Modus, quo dandus moschus, varius esse solet; meliorque censetur, si in substantia, aut in bo-

lum redactus administretur; cum aliis tonicis jungi patitur, gratiorque palato redditur, si conservae citri, aut florum tiliae, similibusque commisceatur, vel addatur cinnamomi pulvis.

Dosis moschi diversa pro vario aetatis, constitutionis, morbique genere; utplurimum autem a granis aliquot incipere solemus, ac ad decem ad viginti et ultra progredi. Generatim, quum raro admodum purus habeatur moschus, magnis dosibus dandum esse, saepiusque iterandum, si sensibilem optamus effectum, auctor est Cullenus.

Nonnullas moschus ingreditur pharmaceuticas compositiones, et speciatim recipitur ad conficiendum pulverem Tunquinensium, qui ex aequalibus cinnabaris nativae, vel artificialis, et moschi partibus paratur, atque pro antilysso, atque alexipharmaco, ut ajunt, insigni habitus est. Datur pulvis iste ad scrupulum unum, atque bis, vel pluries intra nychtemerum pro vario hydrophobi statu repeti potest.

Pulvis ad guttetam, cui egregiae quoque antispasmodicae virtutes tributae sunt, moschum recipit, ejusque magnae quantitati debebantur, quum juxta Riverii formulam conficiebatur. Ex quo factum est, ut ex imminuta nunc moschi dosi in memorata pulveris praeparatione minus probatae remedii hujus vires sint, ac merito proinde exoleverint.

Rotulis addita levis moschi solutio gratam impertitur fragrantiam; hinc ad foetentem spiritum corrigendum, vel potius larvandum inservit; oleoque juncta ad dolores partium leniendos, ac gossypio excepta in aures intrusa ad surditatem commendata legitur. Clysteribus demum receptus moschus in nervosis doloribus profuisse memoratur.

§. III.

DE CASTOREO.

Lacuum, fluviorumque ripas in Polonia, Russia, Sibiria etc. industre admodum animal incolit, quod *Castor Fiber* a Linnæo appellatur, et *cauda ovata plana* distinguitur. Victitat potissimum corticibus sorbi, salicis, populi, vixque pisces edit.

Substantiam animalem resinoso-extractivam, et odoram praebet, moscho admodum analogam, quae in officinis *Castorei* nomine prostat. Haec autem in duobus saccis membranaceis ad ejusdem animalis inguen sitis delitescit, sebi ad instar indurescens, leviter nigricans, amara, ac nauseosa, quae analysi chemicae subjecta tamquam miscela habetur resinae, corporis adipocerei, olei volatilis, substantiae gelatinosae, ac salis.

Vires possidet castoreum egregias antispasmo-

dicas, diffusibiles; hinc in hystericis, ac convulsivis insultibus, aliisque morbis qui a summa nervosi generis debilitate foventur, commendatur. Ad menses etiam ciendos cum aliis emmenagogis junctum utiliter exhibetur.

In pulverem tritum a granis sex ad scrupulum unum dari potest, quae dosis augeri solet pro subjecti, aliorumque adjunctorum diversitate; raro tamen solum, hacque sub forma praescribitur, saepius alcohole, vel aethere solutum porrigitur. Dosis tunc tincturae, vel essentiae castorei est a guttis decem ad triginta, et ultra, aliquibus stillatitiis aquis appropriatis.

Oleum vero castorei per infusionem, vel per destillationem elicitum externo usui maxime inservit, ac tamquam resolvens et discutiens habetur; ejusque pinguedo folliculorum membranis adhaerens oleo juncta ad dorsi spinam illiniendam in rheumaticis chronicis doloribus, paralysi, tremore, aliisque nervosis affectibus a debilitate ortis non sine aliquo levamine adhiberi visum est.

Varia pharmaceutica praeparata ingreditur castoreum, uti mithridatium, theriacam, laudadanum liquidum, et similia, quibus nervinam ac stimulantem potestatem suam impertitur.

§. IV.

DE ZIBETHO.

Moscho plurimum analogam substantiam praebet *Zibethum*, quod ex *Viverrae* specie obtinetur, quam *Zibetham* Linnæus vocavit *cauda annulata, dorso cinereo, nigroque undatim striato*; estque *Civetta* Clusii, *Felis Zibethi* Gesneri, *Animal Zibethicum* Aldrovandi etc. Fera haec in Indiis, China, et Mexico habitat; indomita, ac irata pilos dorsi erigit.

Zibethum officinale substantia est pinguis, unctuosa, colore albido, dum recens est, dilute flavescenti, obscuroque, quum asservatur; odore peculiari fragrantissimo, ad moschum accedente, sapore acri, obtineturque ex magnis inter anum et genitalia positis folliculis secretum, dum per artem cochlearis ope, vel ab ipso animali aliter sponte adversus arbores, vel saxa confricatis memoratis folliculis exprimitur.

Iisdem fere principiis, viribusque medicis scatet zibethum ac moschus, nauseam tamen magis ciet, raraque nunc merces, nec nisi summo pretio obtinenda, vix in usu esse solet.

Solvitur in oleis tum expressis, tum stillatitiis, ac pinguedinibus animalibus; cum aqua non

miscetur mediante saccharo, sed cum mucilaginibus triturando; neque in alcohole solvitur, nisi digestionis ope.

§. V.

DE CERVO.

Agilissimum, notissimumque animal est *Cervus*, in sylvis Pedemontanae planitiei regiae olim venationi dicatis occurrens, quod *Cervus Elaphus cornibus ramosis totis teretibus recurvatis* a Linnæo distinguitur, ac a nostratibus *Serv* nuncupatur.

Mares Cervorum *pulli*, elapso primae suae aetatis anno, subulata habent cornua, ac simplicia, ideoque *Subulones* dicuntur, eadem autem a tertio ad quintum vitae annum bi, vel trifurcata renasci solent, et tunc *furcarii Cervi* vocantur, sicque pergunt usque ad perfectum sui corporis incrementum quotannis primovere nova deciduorum loco subnasci cornua, et accessorio ramo adaugeri. Tenella simplicia cervorum cornua *Typhi* vel *Typhae* in officinis appellantur, quae quum nondum emisit, aut si emiserit, aut deposuerit cervus, non amplius apparent. Castratus vero, dum jam habet, retinet.

Juniorum cervorum caro sat tenera, et sapida est, deterior ea, quae ex annosioribus prostat,

difficilisque digestionis, noxiaque habetur quae ex catuliente cerva, vel elapho, quo tempore venereo oestro percitus est, obtinetur.

Innumera de cervi viribus medicis tradidere veteres; nulla quippe fere ejus pars est, cui eximia non fuerit tributa virtus. Raro tamen nunc temporis adhibetur, et pro usu medico solum fere cornu cervi recipitur, quod et gelatina abunde scatet, et volatile sal destillatione copiose suppetit; per se autem vel simpliciter raspatum, aut philosophice, ut inquiunt, praeparatum exhibetur, tum etiam calcinatum.

At vero raro quoque in substantia datur, saepiusque adjungitur decoctis instaurantibus, ac juribus gelatinosis dosi unciarum trium pro singulis quatuor aquae libris ad sextae partis consumptionem coquendo, viresque tunc exerit in diarrhoea, ac dysenteria non prorsus inutiles.

Decoctiones istae gratiores reddi queunt additione syrupi vel de *acetositate* citri, rubi idaei, berberidis, aliorumque; vel additione amygdalarum dulcium contusarum, continuata leni evaporatione, paratur secundum artem gelatina cornu cervi amygdalata, et candida, quae nutrienti vi insigni aestimatur.

Vires interim absorbentes, fluxusque sistentes cornu cervi usto tribuuntur, additurque proinde

decocto albo Sydenhamii, quod fit ex unciis duabus cornu cervi calcinati, et micae panis coctis in libris quatuor aquae fontis ad consumptionem quartae partis colatis, et saccharo edulcoratis.

Quod si loco micae panis gummi arabicum una cum saccharo cornu cervi ustum teneat suspensum, decoctum Londinensium habebitur emulsioni quadantenus simile.

Utroque modo parata haec decocta utilem admodum potionem praebent in diarrhaea praesertim inveterata, ubi instauranti, nutrientique aliquo liquido aeger est reficiendus.

Nec contemnenda cornu cervi calcinati utilitas in pulvere dentrificio, quo incommoda ex defectu munditiei dentium suborta exiguo sane dispendio tolluntur. Fit autem hic pulvis mixtione unciae unius cornu cervi praeparati cum uncia semisse corticis salicis, et drachmis duabus corticis quercus in pollinem redactorum, quibus ad gratiam aromatica aliqua addatur substantia, ut calamus aromaticus, cortex citri, vel anisi, vel aliud simile.

Cavendum tamen, ne acidum aliquod, vel sal neutrum adhibeatur acidum liberum continens, ut cremor tartari, quae licet albedinem dentibus concilient, ipsorum tamen, et gingivarum texturam laedere valent.

Destillationi submissum cornu cervi rubescentem, et ammoniacalem aquam praebet, quam spiritum volatilem cornu cervi olim dixerunt; oleum spissum, obscurum, foetidumque, plurimum carbonatis ammoniacae sub solida forma, parvaque olei quantitate foedati; gaz hydrogenium carbonatum, oleosumque, et gaz acidum carbonicum, remanente post destillationem carbone, qui post incinerationem carbonatem sodae, et calcis, ac phosphatem calcis suppeditat.

Repetitis vero destillationibus, spiritus volatilis cornu cervi rectificatus, et cum acido succinico junctus dat liquorem cornu cervi succinati, cujus usus est in apoplexia, asthmate, colica, nervosis affectibus, ubi nervinum promtum, ac diffusibile requiritur. Ejus dosis est a guttis decem ad sexaginta.

Nec inopportune naribus admoveri sal hoc volatile cornu cervi poterit in syncope, asphyxia, hystericis affectibus, ubi aeger est excutiendus, eodemque cum aliis oleosis juncto illiniri apte poterunt torpentia, aut paralytica membra, vel rheumatalgia divexata.

Oleum animale Dippelii, quod iteratis destillationibus aetheris ad instar pellucidum ex sale volatili cornu cervi obtinetur, valde odorum est, et ammoniacam continet, coeruleas vegetabilium

tincturas in viridem mutat, et a lucis contactu magis vel minus obscurum evadit, observante celeberrimo FOURCROY.

Hoc quoque nervis admodum amicum, imo ad febrium intermittentium paroxysmum tollendum, sex horis ante earum accessum a viginti ad triginta et ultra guttas, vacuo ventriculo, datum ipsas sustulisse, placidumque somnum conciliasse testatur HOFFMANNUS. Ipsum dein cum aethere vitriolico junctum sub forma elaeosacchari a guttis duabus, vel tribus ad drachmam semissem in difficillimis morbis, epilepsia, hemicrania, similibusque profuit.

Extant praeterea in officinis stillatitiae aquae, ut aqua ex typhis cervinis, quarum aquarum vires vix a cervina substantia, sed potius ab adjunctis substantiis repetendae.

§. VI.

DE VIPERA.

Teterrimum animal ex serpentum ordine *Vipera* est, quae *Coluber Berus* a LINNÆO appellatur, *fusco canescens*, *vitta dorsali atra*, *dentato-repanda*, ac frequentissime in Italia, et apud nos reperitur, maxime autem montanis locis delectatur.

Insignes adeo vires, tamque efficaces viperae tributae sunt, ut vix ullum extiterit remedium, quod majori fide usurpatum a Medicis fuerit in debellanda morborum iliade. Assatae enim viperae carnes, vel jura ex ipsis parata analepticas, refocillantes virtutes habere, ac veluti specifica considerari adversus eruptiones cutaneas, in pulmonum, ac lymphae vitiis, in febribus malignis, intermittentibus, in peste, scabie, ac scorbuto apud Medicos legere est. Imo ad vitam diutius protrahendam, ad bonae valetudinis conservationem, ad generationis officia exercenda, sensuumque hebetudinem corrigendam, ad juventutem prorogandam, ac atroces morborum languores profligandos tamquam arcanum habitus est medicus viperae usus, a qua sane plura parata remedia sunt.

Inter haec praeparata tamen frequentiori apud nos in usu est jusculum, quod generatim ex dimidia vipera paratur cum unciis sex carnis coxae vitulinae, et perpauca salis quantitate in unciis decem aquae M. B. cocta, deinde filtrata, cui ebullienti addi poterit stirpium quarumdam pro varia indicatione selectarum pugillum, aut pullus gallinaceus, ranae, similia; hocque jusculum ipsum est, quod in plerisque modo memoratis morbis commendant. Addunt

autem male praescribi calida tempestate, tum si febris adsit, ac valida sit corporis constitutio; addunt siccitatem corporis sibi procurasse eos, qui nimis hoc jure abutentes ad venerem se disponere studuerunt; addunt demum senibus praecipue, viribusque destitutis convenire.

Nulla vero hujus animalis pars est, quae adversus peculiares aliquos morbos utilis credita minime sit; ita ejus caput siccatum adversus omnia venena, proprio haud excepto, laudatum; jecur et cor tamquam *Bezoar animale*; adeps veluti diaphoreticum, resolvens, ac anodynum, fel autem detergens, ac morbis oculorum opportunum censuerunt.

Sal viperae volatile, vel carbonatem ammoniacae, et aquam hoc sale impregnatam peculiari stimulante vi gaudere traditum; negat tamen Cullenus alkali hoc potentius esse illo, quod ex plerisque aliis substantiis animalibus obtinetur. Hinc nullas peculiares qualitates viperae inesse, uti alimentum, neque virtutes medicas, uti medicamentum, licet minus vere fortasse, idem cl. vir contendit. Etsi enim diversa non est volatilis viperini salis natura ab ea, quae in aliis substantiis animalibus existit, negare tamen non audemus majori quantitate in vipera reperiri, ac in plerisque aliis animalium speciebus, quod ex delicatiori, vividiorique etiam carnium sapore conjicias.

Ast si dubia, aut etiam hypothetica nonnullis visa est viperae in curandis morbis tanta, tamque commendata efficacia, nullus certe est dissensus in ejusdem venenata vi concedenda. Venenum istud in conglomerata quadam glandula pene orbitam sita a sanguine secerni, secretumque in vesica eidem glandulae adnexa deponi constat, ex qua per proprium ductum excretorium in alveolum caninorum dentium hiantem defertur ad dentium aperturam inferiorem, indeque per continuum canalem ad ejus apicem excurrit, et per foramen ibidem patens in vulnus se immittit. Id enim ostendunt compressiones in vesicula factae, post ablatum ab interfecta vipera caput, unde venenum prosilire, etiamque cum impetu ejaculari deprehensum est, confirmant injectiones ex eadem vesicula ad dentis apicem statim pervenientes, veriusque comprobatur ex eo quod, avulsa vesica, aut ligato ductu, innocui reddantur viperae morsus. Neque demum aliunde advenire venenum hoc, ac in demorsam partem instillari, nisi per dentes caninos arguitur ex eo, quod si dentium foramen aliquo modo obturetur, nihil amplius, aut parum admodum noceant viperae morsus; ex quo mirabundum illud circulatorum prodigium, qui substantia qualibet resinosa, aut viscosa memoratas dentium aperturas obturantes

innocuos reddunt viperarum morsus, quos consulto in se ipsis faciunt, ut hac ratione vulgus decipientes facilius antidota sua venditent. Quum autem irritatae viperae pejores morsus sint, quam non irritatae, id partim ex vehementius, tenaciusque arrepta parte, altiusque infixo dente pendere videtur, unde et major veneni copia exprimitur, partim vero ex animalis ipsius rabie, quae generatim venena omnia intendit, et quandoque sub ira ipsa generat.

Pleraque interim a praeclarissimis viris, et speciatim a celeberrimo Florentino Physico FONTANA tentamina habita sunt ad hujusce veneni naturam detegendam. Observavit enim venenum hoc haud deleterium esse in propria specie, neque hirudines, helices, et nonnulla alia animalia ab eodem enecari, neque insuper acidum, aut alkalinum esse, aut salia continere, quae per evaporationem *crystallizentur*. Nullum coeterum dolorem excitat, quum ulceribus inspersum est, neque inflammationem in organa, quibus applicatur, inducit.

Hujusmodi autem virus liquor est subflavus pellucidus, viscidulus, insipidus, oleoso liquido valde similis, inodorus, qui ab aëre inspissatur, ac gelatinae formam exhibet, quae tenacius linguae adhaeret, inflammabile non est, neque

siccatum vim suam deleteriam amittit, nisi post longum temporis lapsum. Minime vero ab alcohole solvitur, aut ab acidis, vel alkalicis alteratur, ac solvitur. Aquosa veneni solutio alcohole praecipitatur, tantamque cum gummate habet analogiam, ut laudatus Fontana *gummi animale* eamdem vocaverit.

Quae autem a viperae morsu consequuntur phoenomena haec sunt: pars demorsa cito intumescit, ingens languor, anxietas, cardialgia, ac vomitus biliosi occurrunt; flavus color quandoque cutim inficit, lipothymiae frequentes subsequuntur, quae omnia mors interdum excipit diris convulsionibus comitata, succedente demum totius corporis inflatione, ac prompta corruptione.

Hisce succurrunt remedia cum externa, tum interna. Priora veneni progressui, atque insinuationi intra corpus inservire videntur, altera ejusdem intra corpus admissi vim retundere, ac naturae vires adjuvare valent.

Referuntur itaque ad externa plura auxilia, ut suctio, scarificatio, cantharidum applicatio etc. Melius tamen, ac veluti specificum juxta Fontana lapis causticus est, quum potissimum parti citissime admovetur, antequam venenum in circulationis viam deductum sit. Addit vero

FOURCROY nonnulla alia caustica adesse, quae immediate post morsum applicita eumdem effectum praestare potes sunt, veluti nitras mercurii, ac argenti, et praesertim murias sublimatus antimonii, quae adhiberi cum successu queunt ad venenum hoc compescendum, dummodo cito, ac tuto vulneribus immissa sint, atque penitus veneni sedem contingant, antequam in vasa subierit.

Ad interna praesidia revocantur ea, quae vires sustinent; et potissimum stimuli diffusibiles, quos inter laudatur spiritus salis ammoniaci succinatus, vini spiritus, camphora, moschus, similia, quae etiam moto sudore juvare videntur, quoniam, eodem sponte suborto, morbos ex veneno viperino genitos curatos observarunt.

Olei olivarum tum extus appliciti, tum intus sumti mirificae apud nos praedicantur in viperae morsu virtutes, eo quod revera plures a viperis sauciati olei usu convaluerint, quod forsitan naturae robori potius, optimaeque corporis constitutioni tribuendum, quae veneni actionem superare valuerunt, quamquam tamen eximiam vim nervinam oleo inesse multiplex experientia jamdiu docuerit.

SECTIO SECUNDA.

DE REMEDIIS

SUPER ORGANA SENSUUM PRAESERTIM AGENTIBUS.

Licet non adeo facile sit substantias eas definire, quae speciali quodam in plura sensuum organa actionem dirigant suam, ipsorumque organorum morbis certo succurrant, nec nostrum nunc sit morbosas omnes affectiones recensere; quoniam tamen haec organa immediate veluti a systemate nerveo dependent, eorumque actio a deleto ejusdem imperio illico fere extinguitur; aliqua ideo erant hic loci tradenda, quae memoratorum organorum laesionibus, communi Medicorum consensu magis accommodata praedicantur.

Ab oculis ideo initio habito, adnotare praestabit oculum sedem gravissimarum affectionum esse cum ob summam, exquisitamque, qua pollet, sensilitatem, tum ob functionum praestantiam, quas exercet.

Laesiones istae sunt numero plurimae; alias enim palpebrae inflammatione detinentur, alias tarsi ulceribus depascuntur, aut ciliorum vitiatur directio; conjunctivae etiam, quos vocant, infarctus, et effusiones humorum, sanguinisque in membranarum textu contingunt, tum pupillae

occlusio, iridis procidentia, vitrei, aqueique humoris collectio nimia; verbo haec, aliaque adhuc in oculi structura, ac conformatione vitia quotidie deprehenduntur.

Frequentissimus tamen oculorum morbus ophtalmia est, quam in duas species generatim tribuunt Pathologi, *hypersthenicam* unam, *hyposthenicam* alteram, seu *chronicam* appellantes. Remedia vero, quae huic morbo succurrunt, *ophtalmica* auctores vulgo dixere, etsi minus congruo fortasse vocabulo, quum symptomata, quae absoluto inflammationis stadio contingunt ab infirmatis conjunctivae, vel internae palpebrarum membranae vitalibus proprietatibus proficiscantur, saepeque contingat, ut oculus, sublata licet inflammatione, molesta tamen, acrique sensilitate adhuc detineatur, sanguineque repletus appareat, qua specie facile decipiuntur qui phoenomena haec inflammatorio statui tribuentes emollientibus, demulcentibusque topicis occurrere student, dum contraria prorsus, adstringentia videlicet, ac roborantia sunt aptanda. Non ergo mirum, si hac methodo brevi, feliciterque curantur istae affectiones, dum adversa pertinaces, ac insanabiles persaepe reddantur.

A tot porro caussis hi morbi nascuntur, diversisque sub rerum adjunctis se praebent, ut pos-

sibile non sit una tantum curationis methodo eosdem complecti. Idem dicendum de ea affectionis specie, quam *amaurosim* appellant, tum de *hemeralopia*, ac *nyctalopia*, in quibus omnibus morbi, caussarumque, quibus fovetur, notio semper prae oculis habenda, adeoque omnia anatomes, physices, et pathologiae lumina conquirenda, sicque detegenda morbi indoles, ut congruis subvenire auxiliis possimus; neque enim sperandum vulgaribus, empyricisque formulis curari hos effectus posse, quae rectae observationi, rationique saepe adversantur.

Difficilius fortasse est morbos omnes agnoscere, queis auris torquetur, nec facile est remedia invenire, quae tot, tamque diversis auditus organi affectionibus occurrant, quaeque ideo ex variis remediorum classibus pro re nata petenda sunt. Auris tamen ope remedium suppetit, musices nempe, cujus tantum in animum imperium est; ab ea enim violentissimas febres cum delirio junctas expulsas legimus, eademque utilissima praecipue se praestitit iis, qui nervorum morbis laborant, hypochondriacis, melancholicis, tum quod attentione, quam sibi postulat, eorum animum a tristibus cogitationibus avertit, tum quod suaviter permulcet, tum quod laetitia perfundit. Ita Saul hypochondria, ut vide-

tur, affectum, cithara personando DAVID solabatur; etenim, ut in *ecclesiastico* scriptum est, *vinum, et musica laetificant cor.*

Porro, si convulsiones excitare musici valent modi, cur non et sedare? Sed haec singularem audientis nervorum dispositionem requirunt. Generatim vero id tenendum est, solummodo in teneros, atque molles musicam influere.

Olphactus organum quibusdam substantiis peculiarius sollicitari potest, unde irritata schneideriana membrana uberior humoris ipsam lubrefacientis fluxus habetur. Remedia ista *sternutatoria*, seu *ptarmica* dicuntur, si una sternutationem movent; *errhina*, si copiosiorem humoris exitum absque violenta, crebraque hac concussione sollicitant.

Quicumque olphactus organum, ejusque cum pulmonibus, ac diaphragmate, nervorum ope consensum probe agnoscit, statim percipit, quantae utilitatis sternutatio esse possit in animali oeconomia; non solum enim schneiderianam membranam ab extraneis corporibus, tum a denso, fluidiori, vel acriori muco expurgat, sed sanguinis circuitum in reliquo corpore, ac speciatim in praecordiis reddit expeditiorem.

Ea insuper est errhinorum utilitas, ut eorum effectus in capite potissimum se prodat, unde

nihil mirum, si dentium, aurium, et oculorum morbis succurrant, imo ad interiora cerebri etiam deducta actione valdopere prosint, eo vel magis si cohibita nasalis muci consueta egestione capitis morbi aut instantes sint, aut jam actu existant.

Cavendum tamen in errhinorum usu, ne nimium nervi organi olphactus irritentur, qui non modo exquisite sensiles sunt, ac fere nudi, sed proximi nimis cerebro, ut ideo facile ipsum in consensum trahere, nimisque commovere possint.

Ad errhina vero referuntur non solum plerarumque stirpium in ebulliente aqua mersarum vapores, qui naribus admoti, vel attracti copiosiorem e naribus effluxum valent promovere, sed praesertim celebratur omnibus notissimus *Nicotianae* pulvis; tum ille, qui e stirpe apud nos frequentissima, vulgatissimaque, *Betonica* nimirum, obtinetur; item *Origani Majoranae*, *Achilleae Ptarmicae*, *Teucrii Mari* flores, ac folia, *Betae albae* succus, aut lenis decoctio; flores *Arnicae montanae* apud alpicolas etc., de quarum plantarum virtutibus alibi fusius disseremus.

Ut olphactus errhinis, ita et gustus organum *sialagogis* affici patitur; quo nomine ea remedia intelligimus, quae ore assumpta uberiorem

salivae fluxum, sive id mechanico motu praestent, ubi ore versata dentibus contrectantur, sive stimulanti principio, quod inter mandendum explicant, sive utraque ratione.

Nemo non novit quantae in sano homine utilitatis sit salivae fluxus, quaeque ab ejus nimio excreatu, aut eodem intermisso, vel suppresso mala suboriantur; quae, humoris fluxu e folliculis, aut oris glandulis sapienter excito, vel plurimum levantur, vel penitus tolluntur.

Sialagoga igitur rite administrata, caeterorum evacuantium more salutares effectus exerunt, qui non solum internae oris caveae, sed remotioribus quoque locis opitulantur; cujus phoenomeni rationem reddit membrana, quae interiora oris convestit, indeque in oesophagum, ventriculum, tracheam, pulmones descendit. Hinc in rheumaticis faucium, et genarum affectibus, in dentium cruciatibus, quin et in diuturna cephalaea, vertigine, lethargo, ac sopore in apoplexiam tendente laudantur, multamque saepe opem ferunt in angina, linguae torpore, paralysi, aliisque. Neque praetereundum remedia ista tono, ac cohaesione flaccido gingivarum textui in scorbuticis restituendo inservire, tum foetentem animam corrigere, nec in peste ipsa spernendum auxilium suppeditare.

Vegetabile regnum plures nobis praebet substantias sialagoga vi insignes. Harum nonnullae nonnisi masticationis ope id opus absolvunt, aliae vero ob acrem, vel aromaticam indolem vitales salivalium glandularum proprietates valent adaugere.

§. I.

DE PYRETHRO.

Usitatissimum apud nos sialagogum est *Pyrethri* radix, quae ex planta calidiorum regionum Arabiae, et Syriae incola obtinetur ad *Anthemidis* genus relata a Linnæo, *Anthemis Pyrethrum* ideo ab hoc celeberrimo Viro appellata. Haec fusca est, intus albida, pollicem crassa, inodora, fervoris sensum paullatim masticata exerens, et salivam copiose proliciens; unde saepius in odontalgia usurpatur.

Vel sola itaque, integraque manditur, vel decoctum conficitur ad interiora oris colluenda. Vino etiam decocta ad similes usus insumitur, aliisque interdum stirpibus eadem vi praeditis sociatur.

Ubi vero minus stimulans remedium desideretur, id praestare potest radix *Imperatoriae Ostruthii* apud nos crescentis, vel *Angelicae Archangelicae* mitius adhuc praesidium; si

acriori autem opus sit, tunc *Sinapis nigrae* semina, vel *Cochleariae Armoraciae* radix dentibus confecta, et salivam movent, et dentium quoque morbis opitulantur.

§. II.

DE ZINGIBERE.

Potens aroma, acriterque pungens exhibet *Zingiber*, quo nomine in officinis designatur tuberosa radix perennis plantae in India Orientali, Guinea, aliisque occidentalis Africae regionibus nascentis, quae *Amomum Zingiber* a LINNÆO dicitur. Ea autem ex propaginibus inter se connatis, quae illam quandoque palmatam reddunt, transmittitur, subcompressa, extus cinerea, modo alba, modo vero purpurascens.

Oleo scatet essentiali, modica tamen quantitate. Extractum aquosum acerrimum est, valentiusque adhuc se praebet extractum spirituosum. Hinc radix ista ad stomachica, et quidem egregia potius refertur, quae ciborum condimento optime cedit, eorumque promovet concoctionem; iisque conceditur, qui debili stomacho donati lente ac difficile digerunt, flatibusque torquentur. Febribus intermittentibus debellandis, etiam et in rebelli quartana utilis deprehensa est, caute tamen ad-

hibita. Raro sola in pulvere, vel saccharo commixta porrigitur; aqua potius infusa, vel syrupus hoc infuso paratus gratior, valdeque activus est. Saccharo condita radix, quemadmodum ex India ad nos adfertur, stomachica pereximia est, et ante prandium dimidia, vel integra comesta valdopere proficit.

Datur in pulvere a granis sex ad grana duodecim in infuso a drachma semis ad drachmam unam. Sed Zingiber suum etiam inter sialagoga locum meretur, adeoque in uvulae laxitate, addito praesertim alumine, adhibetur, salivam abunde ciet, et inter oris collutoria merito collocatur.

§. III.

DE CARDAMOMIS.

Tres cardamomi species, vel potius varietates in officinis distinguuntur, *majus* scilicet, *medium*, et *minus*. Postrema magis aromatica reliquis solet anteponi, medicoque usu insumi.

Fructus iste ad plantam pertinet, quae *Amomum Cardamomum* a Linnæo nuncupatur, ac in Malabariae, et Zeylonae humectis, umbrosisque habitat. Est autem hic fructus vix ultra semi-pollicem longus, pallide extus flavus, vel rubens, capsulam trivalvem exhibens, nigricantibus, parvis, multisque seminibus foetam, saporis camphorati, acris, et aromatici.

Ex hisce fructibus oleum essentiale destillatione elicitur leve, valde odorum, ac volatilissimum. Resinosa pars alcoholis ope abunde educitur. Extractum quoque sat valida pollet efficacia.

Stomachicum, roborans, ac nervinum praebet cardamomum, quod speciatim veluti in gustus organum actionem dirigit; hinc in anorexia a spasmodica causa pendente, in paralysi nervorum gustui dicatorum, in parotidum, ac sublingualium glandularum infarctubus; tum in ventriculi, ac intestinorum, ipsisque uteri morbis a debilitate fotis valde commendatur.

Tincturas ideo vinosas, stomachicas, nervinas, et apud nos *Theriacam*, *Mithridatium*, et *pulverem Diarrhodon* ingreditur.

Dantur semina simpliciter pro masticatorio, vel in infuso aquoso. Oleum essentiale ad aliorum medicamentorum vires acuendas usurpatur.

§. IV.

DE CARYOPHYLLIS AROMATICIS.

Licet condimenti potius, quam medicamenti causa veniant *Caryophylli aromatici*, quoniam tamen aromaticam, exstimulantemque vim exerunt, quae nulli cedit aromati, hinc de iisdem pauca dicemus.

Sunt autem Caryophylli flores nondum expansi, eorumque calyces una exsiccati arboris cujusdam in Moluccanis insulis, ac Amboina crescentis, quae *Caryophyllus aromaticus* dicitur a LINNÆO, et ad polyandriam monogyniam pertinet.

Sapor caryophyllorum summe aromaticus est, pungens, ac fervens, leniterque amaricans, odor proprius, et suavis, qui a simplici aquae infusione sejungi patitur, dum sapidae partes ab alcohole melius extrahuntur. Destillatione quoque aromaticum oleum suppeditat fervidissimum, ac fragrantissimum, quod ideo externo fere usu solet adhiberi. Gossypio exceptum carioso denti utiliter apponitur.

Egregium sialagogum praebent caryophylli simpliciter masticati; inserviunt etiam ad dentes, et gingivas firmandas. Stomachi roborandi scopo, atque ad nervorum, et musculorum vires erigendas quammaxime laudabiles.

§. V.

DE GALANGA.

Parvi nunc usus, ad calidissima tamen aromata pertinens est *Galangae* radix, cujus duae extant species in officinis, *major* scilicet, et *mi-*

nor. Haec acrior est, et majori apud nos praeferri solet.

Utraque ex eadem planta obtinetur, quae *Maranta Galanga* vocatur a Linnæo in China, et India Orientali proveniens, cujus iconem videre est apud Rumphium (*).

Galangae minoris radix teres est, minimi digiti crassitie, ramosa, nodosa, extus, et intus profunde rubens. Ipsius odor aromaticus, fragrans, sapor fervens linguam acriter vellicans, et diu faucibus haerens.

In Indiae Orientalis hortis ad domesticum ciborum condimentum excoli solet, etiamque apud nos ad flatulentam alimentorum indolem corrigendam, tum ad stomachi vires instaurandas interdum adhibetur.

In linguae paralysi utilem fuisse observavit cl. Plenk, atque apud Germanos ore masticatur ad lipothymiam praecavendam.

§. VI.

DE NUCE MOSCHATA.

Ex arbore, *Myristica officinali* a Linnæo dicta, et in Bandae praesertim insulis crescenti fructus, seu nucleus habetur, qui *Nux mos-*

(*) *Herb. Amboin. vol. 5 tab. 63.*

chata vocatur, cujus integumentum, seu membrana pulposa nucem obvelans *Macis* nomine designatum ad praestantiora spectant aromata.

Nucleus iste exsiccatus in Europam advehitur duriusculus, ex cinereo flavicans, gustui gratus, linguam leniter vellicans; neque absimilem saporem macis refert, licet validiorem habeat odorem, ejusque color ex luteo sanguineus, aut coccineus exsiccatione evadat.

Duplex olei species e nuce moschata obtinetur, quarum una destillatione, altera expressione elicitur. Haec vero postrema nihil aliud est, nisi butyri species instar unguinis crassioris, gustui aromatica, odora, citrinum colorem habens, quod aromatis principia possidet a sebacea, inodora, ac plane inerti materia irretitum.

Frequenti in usu est nux moschata pro ciborum condimento; ut masticatorium vero laudatur in musculorum deglutitioni inservientium paralysi. Macis apud quosdam populos communiter manditur. Roborans certe, ac tonica vis huic aromati merito adscribitur, quod tamen caute, prudenterque usurpandum, quum immodice sumtum graviter noceat, aestu nimio in circuitus organis concitato.

Partes torpore, paralysi, rheumatismo detentae aethereo oleo frequenter, et cum utilitate illi-

niuntur. Cordis scrobiculo, abdomini, aliisque partibus admotum non raro profuisse observatum est in praecordiorum, ac praesertim stomachi vitiis.

§. VII.

DE PIPERE.

Triplex piperis species in officinis prostat, quarum una *Piper album*, altera *nigrum* dicitur, tertia *Piper longum* nuncupatur. Omnes ex Orientali India ad nos mittuntur, similibusque viribus pollent.

Piperis albi, nigrique nomine veniunt baccae sphaericae, pisi minoris magnitudine, intus albidae. Hae, si externo suo tegmine orbatae se sistunt, *Piper album* constituunt, quod *nigro* debilius, namque ad eamdem plantam pertinent, quae a Linnæo *Piper nigrum* appellatur.

Piper longum non solis granis venit, sed simul cum pulpa commixtum, in qua latet. Fructus hi probe siccati ad nos transmittuntur, et corpus pallide cinereum referunt tuberculatum, semipollicem longum, exiguis granulis oblique dispositis, quae vix separari patiuntur, et parenchyma album continent.

Acri, fervidoque sapore gaudent omnes Piperis species, ideoque salivam cient, uvulae laxitati

prospiciunt, necnon morbis a ventriculi debilitate pendentibus opitulantur.

Intermittentibus febribus quandoque succurrunt, dummodo ante paroxysmi adventum praebeantur, teste SWIETENIO, aliisque.

Ad hosce fructus referendae quoque *Cubebae*, aridae nempe, globosae, fuscae, vel griseae baccae piperis nigri grani magnitudinem aequantes, quae ad fruticem spectant in Guinea, Java, ac Philippinis insulis crescentem, qui *Piper Cubeba* dicitur a LINNAEO.

Aroma hi fructus constituunt iisdem viribus praeditum ac piper, jucundius tamen, licet paullo debilius.

Dantur in pulverem redacti omnes memorati fructus a granis duobus ad grana x. Duplo majori dosi infusi exhibentur.

§. VIII.

DE VANILLA.

Licet non admodum medicaminis instar adhibita, viribus tamen praestans aroma est *Vanilla*, fructus videlicet parasiticae frutescentis plantae in australi America, ac India orientali crescentis, quaeque speciatim calidioribus locis regni Santa-Fè, ac prope urbem Fusagasuga reperitur,

Vanilla aromatica a WILDENOWIO nuncupata.

Prout in officinis prostat fructus, capsula est siliquaeformis, cylindrica, longissima, recta, compressa, fusco-brunnea, coriacea, pulpam continens rufescentem innumera exiguorum seminum nigrorum, ac nitentium copia repletam. Sapor acris, odor fragrans, ac balsamorum odorem redolens. Ejus principia activa potissimum alcohol extrahit, iisdemque mirifice imbuitur.

Praestantissima habetur vanilla ad languentes ventriculi vires refocillandas; hinc hypochondriacis, ac melancholicis, in quibus viscera digestioni dicata atonia detinentur, maxime conferre dicitur; raro quidem masticationis ope usurpatur, sed utplurimum condimenti genus habetur ad salivam uberius ciendam.

Venerem efficaciter stimulare vanillam LINNAEUS, aliique tradiderunt. Nervis certe pervalde amica, hinc medicamentis accenseri jure quidem, Anglorum Medicorum exemplo meretur.

Chocolatae saepissime ad gratiam additur, sicque commixta exstimulantem cum nutrienti vi jungit, facilioremque proinde ejus reddit digestionem; unde patet quam incongruo titulo, quae hoc aromate orbata extat, *chocolat de santé*, vulgo dicatur.

Datur vino, lacte, aptove alio vehiculo infusa a granis duodecim ad scrupulum unum.

§. IX.

DE SPILANTHE OLERACEA.

Haud reticenda hic loci videtur planta meridionalis Americae incola, *Spilanthes oleracea* a Linnæo nuncupata, in pluribus nunc Europae hortis exculta, cujus odor nullus, sapor acris, et urens. Ut efficax sialagogum habetur haec planta; hinc in odontalgia ex salivalium glandularum infarctu proficiscente, flosculorum, ubi semina prope maturitatem sunt, lectorum tantillum carioso denti intrusum, aut intra oris cavum retentum prodest, copiosa inde accita salivae secretione.

Antiscorbuticis plantis accensetur, et inter eas stirpes commode recipi poterit, quae ciborum condimento inserviunt, quaeque ob tonicam vim digestioni promovendae valdopere favent.

Restat, ut de medicamentis dicamus, quae in postremo sensuum organo, cutaneo videlicet, actionem exerunt, quod quidem sibi innumeris vasis tam sanguineis, lymphaticisque praeditum est, et incredibili nervorum copia pervaditur; denique non modo cellulari textu, sed et peculiari substantia constat, quam *chorion* vocant, unde mirum non est, si phoenomenis, actionibusque pluribus, consensibusque accommodetur. Est enim multorum morborum vehiculum, ut ita dixerim,

exemplo hydrophobiae, syphilidis, contagiorum etc. Est et via remediis compluribus, quae sic tutius, commodiusque ad internas sedes deferri possunt, quam si per digestionis organa transmittantur. Exitum quoque praebet insensili perspirationi assidue per cutim exhalanti, quorum illa lymphaticorum ope, alterum sanguiferorum vasorum ministerio perficitur.

Denique nervorum multitudo eximiam cuti sensilitatem attribuit, eamque voluptati et dolori obnoxiam reddit. Triplici ideo conspectu medicamenta in cutaneum systema praesertim agentia contemplabimur; et primo quidem de iis dicemus, quae in cutaneum organum, quatenus absorbens agunt; de iis dein, quae in idem exhalans; tertio loco de illis, quae in ejus sensilitatem operantur.

Articulus I.

De medicamentis super cutaneum absorbens organum praesertim agentibus.

Quivis immensum minutissimorum lymphaticorum vasculorum per cutim perreptantium numerum, fabricamque perpendit, eaque considerat, quae postremis hisce temporibus de iis tradidere summi Anatomici, ac Physiologi, is

facili negotio deprehendet ad sorbenda ea, quae cuti applicantur a natura dicata esse; quam quidem facultatem heus nimia ostendunt! Per hanc enim viam venena, et contagia intus traducuntur, sed naturae etiam beneficio, et medicamentorum, et nonnullarum substantiarum utiles proprietates ad interna organa deferuntur, exemplo mercurii, cantharidum, terebinthinae etc., a quibus omnibus interiora affici quotidianae docent observationes.

Haec tamen absorbendi facultas quibusdam vitalium virium legibus subdita est, et nonnisi determinato quodam sensilitatis gradu perfici potest. Fit enim interdum, ut prae nimio cutis incitamento remediorum absorptio prohibeatur, quo tempore sedantibus opus est, sed et vicissim evenit, ut torpens cutis sensilitas, actioque stimulantibus exsuscitanda sit.

Interest quoque plurimum, ut cutaneum systema debita gaudeat energia, qua possit prohibere quod corpori nocuum est; constat enim a roborantibus substantiis cuti applicitis contagiorum absorptionem impeditam fuisse; constitit etiam aliquando eos, qui vino, ac liquoribus spirituosis indulgent, minus contagio obnoxios fuisse; dum contra metus, fames, aliaque infirmantia contagiis suscipiendis mire favent.

Juvat vero hic considerare, quae vitales dermoidei systematis proprietates attingunt, quaeque ad penitiorem morborum tam acutorum, quam chronicorum indolem retegendam conferunt. Itaque experientia compertum á tristibus animi affectibus, a pravo nutritionis genere, ab humidorum locorum incolatu, ab exercitationis defectu, et ejusmodi aliis pluribus easdem infirmari, ac pene extingui, atque ab his cutaneum textum valde immutari, itaut absorbendi facultas vitietur, omnique remediorum ad interiora transmissio valde difficilis evadat, exemplo herpetum, elephantiasis etc., in quibus absorbendi facultas prorsus deleta est, ac cutis inde impervia fere evadit ad medicamentosas substantias intus traducendas. Revera cl. Alibert quosdam herpeticos vidit, in quibus cutaneus textus ita obstructus erat, duratusque, ut molle corium videretur (*).

At si ex memoratis caussis absorbentium vasculorum actio in cutaneo textu infirmatur, non desunt quae eorumdem actionem valeant exsuscitare, inter quae jure memorandae frictiones, quarum effectus adéo utilis deprehensus aliquibus in morbis, uti rheumatismo, podagra, syphilide etc. Verum et omnia, quae alibi agendo uni-

(*) *Nouveaux élém. de thérap., et de mat. méd. vol. 2, pag. 247.*

versum systema concutiunt, absorbentium quoque actionem adjuvant; hinc emeticorum, drasticorum adeo proficuus, promptusque effectus in anasarca, ascite, etc.

Ignotum nequaquam est nunc temporis quantum a corporis exercitatione exhalantium cutaneorum vasorum energia excitetur, quotve chronici morbi, hydrops praesertim hac ratione insigne levamen senserint.

Nihil itaque mirum, si ex sat cognita nunc systematis dermoidei physiologia consulto magis therapeutica auxilia plura in usum deduci queant; quo spectant ea, quae postremis hisce temporibus Chiarenti, Brera, Vaccà-Berlinghieri, Pinel, Alibert, aliique plures cl. viri tradidere. Docent enim opium non modo, sed et corticem peruvianum, et camphoram, et digitalem, aliaque plura gastrici succi ope soluta cuti utiliter applicita fuisse, quorum virorum conatus, etsi summe laudabiles, ulteriori tamen experimento adhuc confirmandi; siquidem non omnibus aeque feliciter res successit, quod sane peculiaribus adjunctis fortasse tribuendum, quae tamen patienti, ac multiplici observatione cognoscenda, ac detegenda.

Jam vero gradus faciendus ad ea, quae ex triplici naturae regno petuntur, quaeque in memoratos usus adhibentur. Inter haec primo loco dicemus:

§. I.

DE DENTELLARIA.

Quamquam ipecacuanhae loco *Dentellariae* radicem adhiberi posse nonnulli censeant, quoniam tamen acris, et caustica planta est, nec ejus principia adhuc ex Chimicis nota, hinc externo potius usu eadem praescribenda. Planta haec ab ejus utilitate in dentium dolore *Dentellaria* in officinis dicta fuit, et a nigro ejusdem colore *Plumbago* est nominata. Crescit eadem in meridionalibus regionibus, et Nicaeensi agro; *Plumbago Europaea* a LINNÆO nuncupata est.

Contusa hujusce plantae radix retro aures vesicantium more applicatur quidem, sed ejus usus praesertim celebratur in scabie, necnon adversus tineam, quin etiam ad ipsum cancrum absumendum juvasse tradunt. Enim vero, quod ad scabiem pertinet, tot adeo exemplis confirmata res est, ut nullum de ejus virtute dubium supersit. Observatum vero est ab ejusdem usu levem irritationem in externo cutis habitu excitatam fuisse, ac pustulas vividiores, novasque productas. Cui rerum statui per aliquot dies perduranti, tandem

et vetustae, et recentes pustulae exsiccabantur, psorica dein omnino evanescente affectione.

Quem in finem duo, vel tres contusae radicis manipuli oleo infunduntur, addito ad opus tantillo muriatis sodae, quo praeparato vehementer confricantur mane, et vespere partes scabiosis pustulis detentae; ac si irritatio vehemens nascatur, tunc una tantum vice intra diem frictio instituenda. Hac ratione, post sex aut octo frictiones scabiei pustulae exsiccantur, deciduntque.

Parum a dentellaria et principiis, et viribus differre videtur *Nerium Oleander* L. (*), in Liguriae, et Gallo-provinciae nonnullis locis crescens, et in hortis plurimum excultus frutex, cujus folia oleo infusa ad scabiem fugandam, maxime si de infantibus, ac sensibilioribus subjectis agatur, in quibus mercurialia saepe contraindicentur, admodum utile remedium praebent.

Alia quoque acris, urensque caustica planta similibus in casibus proficere traditur, *Clematis* nimirum *Vitalba* L., quae ad sepes, et dumeta ubique frequens occurrit; tum *Rhododendrum ferrugineum* L., frutex scilicet in montibus, et alpibus vulgatissimus, qui in morbis cutaneis, et in scabie idem praestare dicitur (**), ac *Rho-*

(*) *Laurier-rose* gall. *Leandro* vern.

(**) *Vill. Fl. Delphin. vol.* 3 *pag.* 592.

dodendrum Chrysanthum, quo Russi in memoratis morbis debellandis feliciter utuntur.

Non hic silentio praeteream stirpem locis aridis montanis apud nos haud infrequentem, quam *Sedum acre* vocat LINNÆUS; praeterquamquod enim optimam eam censent Medici adversus scorbutum; sordidis ulceribus quoque mundandis, ac gangraena affectis partibus separandis, et ulceribus cancerosis abstergendis, et ad vitalem vim ulceratis in locis excitandam, ut sic facilius ad cicatricem perduci queant hanc plantam valere, pluribus observatis ab Auctoribus confirmatum est.

Intus etiam sumenda dantur hujus plantae folia a drachma semisse ad drachmas duas ex aqua, aut sero lactis decocta: externo vero usu mortario marmoreo contusa in cataplasmatis formam rediguntur, addito tantillo olei amygdalarum dulcium, tum super lintea extenduntur, et sic ter intra diem affecto loco calide applicantur.

§. II.

DE OLEO.

Optimum non modo cibis condimentum, sed et medicamentum in morbis cuique notissimum oleum est, si purum fuerit, ac probe in oleariis

vasis, maximeque in vitreis ampullis occlusum, frigidoque loco, ne rancescat, servatum.

Quamquam plures stirpes sint, e quarum fructibus, seminibusque olea obtinentur, apud nos tamen medico usui *oleum olivarum* praecipue dicantur, ac *oleum amygdalarum dulcium*. Prius e drupis *Oleae Europeae* Linnæi meridionalibus Galliae, Italiae, Hispaniae etc. locis crescentis, expressionis ope elicitur; aliud vero e seminibus *Amygdali communis* iisdem quoque locis nascentis, pluribusque aliis excultae arboris, expressione pariter obtinetur, quod jucundi saporis est, faciliusque ab aegrotantibus sumitur; sed tamen facile rancescit.

Ex Chimicis constat principia olea constituentia esse hydrogenium, carbonium, et oxygenium varia proportione inter se commixta; cum alkalicis juncta sapones componunt, ac ab acidis sulphurico, nitrico, ac muriatico oxygenato varias mutationes patiuntur.

Pluribus medicis indicationibus implendis olea solent adhiberi. Tamquam laxantia enim, eccoprotica, et anthelmintica habentur; hinc in ventris obstipationibus, dummodo absit intestinorum inflammatio, ad deleteriam quorumdam venenorum vim retundendam, ad vermes enecandos,

et una pellendos usurpantur. Nocent porro in mucosae cibarii canalis membranae phlegmasiis, quum facile rancescant, in colica vero pictonum non omnibus probantur.

Externo potius usu oleorum vires dudum celebravit antiquitas, nec recentior medicina improbavit. Constat siquidem inunctiones oleo institutas, ac diutius protractas in hydrope ascite, ac anasarca profuisse; tum ad infringendos deleterios effectus et a viperae, et quorumdam serpentum, insectorumque morsu valere. Tamquam prophylacticum quoque adversus pestem a nonnullis habitae olei frictiones, et in quibusdam casibus revera utiles observatae. Conveniunt certe ubicumque arentes partes humectandae sunt, scissae uniendae, durae molliendae, contractae, rigidaeque laxandae.

Quamquam vario modo extus apponi olea consuescant, usitatior tamen, utiliorque methodus ea censetur, ut frictionum ope spongia vel laneo panno oleo madidis manu diutius, vel brevius pro affectionis natura partes fricentur. Hac enim ratione non solum affectae parti levamen, sed ad remotiores quoque effectus propagabitur.

Inter usitatiora olei praeparata id habetur, quod *linimentum volatile* vulgo audit, de quo superius diximus. Olei vero amygdalarum dulcium

cum soda commixtio saponem praebet in viscerum obstructionibus laudatum, qui a granis viginti ad drachmam unam intra diem dari potest.

Interna demum olei dosis varia pro casuum diversitate. Generatim ad venenorum effectus imminuendos magna dosis requiritur tam ore, quam enematum ope adhibenda.

Restat, ut pauca addamus de aethere acetico, cujus virtutes postremis hisce temporibus valde commendatae ad vitales vires cutanei organi erigendas. Quoniam enim frictione adhibitum facile per poros cutaneos permeat, et exhalantium inde actionem mirifice adjuvat; hinc, ubi diaphoresis movenda est, si intus praesertim aliqua sudorem pellentia propinentur, valdopere prodest.

Externo autem usu nulli fortasse cedit remedio mercurius ex minerali regno desumtus, ac rite administratus, de quo nunc speciatim agere suscipimus.

§. I.

DE MERCURIO.

Quod specifici adversus syphilidem remedii titulo insignitur semi-metallum, *Hydrargyri*, seu *Mercurii* nomine donatum, vel purum, seu crudum extat in officinis, vel vario modo paratum.

Nos autem missis omnibus, quae ad naturalem ejus historiam, diversamque multiplicium ejus praeparationum rationem pertinent, usitatiorum tantum, magisque probatarum virtutes, ac methodum, qua administrari debent, trademus, quum praesertim videamus adeo docte, absoluteque tot tantosque cl. Viros de hisce omnibus dixisse, ut uberiorem doctrinam de his passim, facileque sit reperire.

Ast priusquam de hydrargyri sive intus, sive extus usurpandi rationibus loquamur, effectus prius indicandi, qui ab eodem in humanum corpus eduntur. Juvat siquidem adnotare mercurium sive illinitum, sive ore sumtum plurium humorum secretiones augere; si autem paullo majori, ac par est, dosi detur, irrequiem, pectoris anxietates, molestiae sensum in abdomine inducere, crebriores pulsus reddere, sudorem pellere, corporis lassitudinem inferre. Metallicus insuper oris sapor, gingivarum rubor, ac pruritus, levisque oris phlogosis producuntur; quae interdum mediocris salivae fluxus excipit, alias vero multus valde, prout remedii dosis major est, vel diutius continuatur, aut peculiari idiosyncrasia ad salivationem pronior aeger est, cum magna dentium vacillatione; quibus omnibus, nisi cito occurratur, inflammantur fauces, totum os ero-

ditur, exulceraturque, febris accenditur, glandularum, ac praesertim parotidum tumores exurgunt, inflatur collum, tumens redditur lingua, mucosaque colluvie adeo os oppletur, ut intercluso spiritu suffocari pene aeger videatur.

Interdum etiam ob peculiarem aegri constitutionem, vel praeposterum adhibendi modum in alia organa dirigitur mercurius, et motis largius urinis, vomitu, torminibusque alvo abunde soluta, vel copiosis accitis sudoribus, et gravioribus etiam illatis malis, ni prompte succurratur, multimode nocere visus est.

Ut vero ad ejus adhibendi rationes veniamus, prius dicendum de ejus usu externo. Qua in re praestat advertere omnium fere saniorum Clinicorum consensione, inunctiones ex mercurio ad syphilidem radicitus evellendam certius tutiusque, tum commodius quoque medendi genus suppetere, quod cuique pene aetati, temperamento, morbique ingenio, ac gradui aptari queat. Fiunt inunctiones istae ex unguento sic dicto mercuriali rite parato, praemissis, ubi opus, aliquot balneis sive generalibus, sive partialibus, quae altera quaque die, dum illinitur mercurius, adhiberi queunt cum ad cutim abstergendam, tum ad absorptionem promovendam, dummodo haud valde protrahantur; juvat quoque partem, cui

unguentum admovendum est calidis, asperisque pannis, vel scopula perfricare, derasis prius pilis, ne per continuatam frictionem detorti molestam inferant irritationem, ac pustulis postea erupturis caussam praebeant. Sic praeparata pars, quae illinienda est ad ignem inungenda frigidiori tempestate, nisi sat tepens sit cubiculi temperies, et ad dimidiam, vel ad unam horam inunctio protrahenda pro majori, minorive unguenti quantitate.

Inunctiones has ministri potius, quam aegrotantis manu efficiendas censemus, ea tamen cautione, ut jatralepta tegmine, et praesertim manica ex vitulina, vel suilla vesica probe munda utatur, ne et ipse illiti remedii incommoda sentiat.

Absoluta frictione juvabit illitum membrum lineis, aut laneis pannis obtegere, quae munda servanda, ne unguenti rancorem adepta noceant. Monendi vero aegroti, ne dum inunctiones aguntur, horologia, annulos, monilia, catenas, similiaque ex auro, vel argento gestent ornamenta, quae, alieno colore inducto, facile morbum revelant, silentio saepe tegendum.

Peracta inunctione, frigus vitandum, ac temperatus, nec tamen aestuans spirandus aër, sique hiems fuerit, amplo, temperatoque cubiculo se se contineat aeger, nec nisi parce, ac tepen-

tibus tantum diei horis, siccoque coelo prodeat.

Quando nulla post primam inunctionem apparuerunt phoenomena, alternis diebus solet iterari inunctio: quod si nihil prohibeat, et festinandum esse morbus jubeat, simulque aegri vires ferant, quotidie usurpari per aliquot dierum spatium inunctiones possunt, interpositis subinde balneis, aliisve pro re nata remediis. Saepe quoque omissis per aliquot dies frictionibus, ad eas iterum redeundum, continuandusque usus, donec omnis repullulantis morbi sublatus sit metus, uti ex praematura tanti remedii omissione evenire observatum est.

Si tamen contingit, ut ex pravo corporis habitu, vel ex debilitate, vel ob alias causas salivae fluxus ab inunctionibus cieatur, vel aliae exsuscitentur turbae, tunc frictiones confestim intermittendae, atque in usum vocanda subsidia salivae fluxum prohibentia, vel moderantia; hinc modo balnea, modo alviduca, aut diaphoretica, vel ea, quae urinam cient, aut quae roborant, aut adstringunt, usurpanda.

Quod quantitatem unguenti, quae recipienda quovis illitu sit, attinet, ea generatim servanda regula, ut a dimidia drachma incipias, ad integram dein, ad duas, interdum etiam ad tres sit augenda dosis, ubi casus urgeat, nullumque ex

adhibito festinanter remedio discrimen accidat. Quae ad frictionum vero numerum, scire juvat octo ad quindecim in leni morbo frictiones sufficere; viginti ad triginta in gravi, et quinquaginta ad sexaginta, et ultra requiri posse, ubi confirmata, gravisque lues ad ossa usque penetraverit. Intra tamen eos limites medicamenti hujus quantitatem coërcent therapeutae, ut minimam duas, tresve unguenti uncias, maximam quatuordecim determinent.

Praeter hanc inunctionum methodum, aliae ab auctoribus traduntur, inter quas ea merito referenda, quam summus, eximiusque Medicus Neapolitanus Cyrillus syphiliticorum commodo non adeo multis ab hinc annis proposuit, unguento scilicet ex mercurio sublimato corrosivo et axungia suilla confecto syphiliticos inungere, cujus primum dimidia drachma, dein una, ac demum duae, tresve justis intervallis obliniantur; plantis vero pedum praesertim illiniendos suadet, quum hac ratione, sin minus promte, lenius tamen aeger afficiatur. Haec autem, licet quibusdam utilis fuerit, graviori tamen syphilidi submovendae imparem esse, neque efficitatem obtinere, quam unguentum mercuriale memorato modo illitum plures affirmant.

Neque etiam illustris Clare methodo assen-

tiam, qui calomelani, aut mercurii dulcis septies sublimati pauca grana cum saliva soluta, aut butyro excepta et gingivis, oris labiis, aut interiorum genarum parietibus affricta, aut vulvae in foeminis, glandi in viris, aliisque partibus illita sufficere censuit; sed methodus haec, quamquam nonnullis usibus sat apta leni, ac recenti syphilidi discutiendae fortasse suffecerit, diuturniori tamen, confirmataeque sanandae, auferendaeque imparem censemus.

Ast plura sunt mercuralia praeparata, quae interno, externoque usu adhibentur; haec inter praecipuum locum tenet *murias mercurii dulcis* rite paratus, ac frictionis forma adhibitus, cujus actio in cutis organum efficacissima. Potentius agit *murias hyperoxygenatus mercurii*, seu *mercurius sublimatus corrosivus*, de quo jam aliqua ex Cyrillo nuper attulimus, cujusque externum usum multi commendant, alii vero improbant. Contendunt hi siquidem a lymphaticis vasis absorptum, licet quaedam venereae luis symptomata leniat, labem tamen et jugem, et saepe indelebilem visceribus, ac praesertim pulmonibus et intestinis, tum nervoso etiam systemati inferre, adeoque prudentis artificis esse potius ab ejusdem usu sibi temperare; aut si merculiale remedium sit usurpandum, quod mercurii

sublimati vires aemuletur, substituendum esse mercurium dulcem, majori dosi adhibitum, utpote minus periculosum.

Nonnulli quoque censent *nitratem hydrargyri*, aut *sal nitrosum mercuriale* tam syphiliticis morbis curandis, quam cutaneis nonnullis eruptionibus, scabie, impetiginibusque debellandis, tum syphiliticis oculorum affectibus sub collyrii forma profuisse. Eodem cum pinguedine suilla, aut oleo olivarum varia proportione subacto *unguentum citrinum* in officinis dictum paratur, usitatissimum remedium ad scabiem praesertim fugandam, quod tutius quidem agit, ac si lotionis forma adhibeatur.

Optimum etiam remedium ad scabiem, herpetem, aliaque cutis vitia sananda praestat *unguentum mercuriale album*, quod fit ex muriatis hydrargiri albi praecipitati drachma una, pinguedinis suillae, aut unguenti rosarum albi uncia una rite commixtis, quod avellanae nucis magnitudine adhibitum artuum juncturis vespere inungitur, ac summopere in memoratis morbis proficit.

Valde usitatum insuper est *oxydum hydrargyri rubrum ex acido nitrico*, quod *mercurius praecipitatus ruber*, aut *hydrargyrus nitratus ruber* nuncupatur; eo quippe opportune,

recteque imposito, ulcerum sordes abstergi, bonum pus confici, fungosa labia cohiberi, callosa erodi, luxuriantes carnes reprimi, tuncque feliciter ad cicatricem ulcera perduci, eaque impleri, ac confirmari testantur Clinici experientissimi. Commodum certe, aptissimumque chirurgis praesidium, quod efficax simul, et innocuum, si rite fuerit administratum. Ex eo autem paratur *unguentum mercuriale rubrum*, quo bis de die ulcera illiniuntur, ut mittam sordidas capitis exulcerationes, ipsamque tineam hujus unguenti viribus emendari.

Mittam quoque frequenter in usu esse solere ad pediculos enecandos, etsi non semper absque periculo, quum ab inconsiderato ejus usu pruritus nimius, dolores, irrequies, tum convulsiones in pueris saepe inducantur, interdum etiam glandularum tumores suboriantur, et salivae fluxus cieatur.

Nunc de iis mercurialibus *praeparatis* dicendum, quae interno potissimum usu adhibentur. In his celebres admodum fuere plures mercuriales *pilulae*, ut *Bellostii*, *Plumeri*, aliaeque. Harum tamen pleraeque modo parvi fiunt; ab his enim licet symptomata venerea mitiora reddantur, vel etiam tolli videantur, vix tamen radicitus evellendis sufficiunt. His itaque anteponunt mer-

curium vivum cum mucilagine aliqua subactum, et addita stillatitia aqua ita paratum, ut remedium emergat, quod facilius aegri genio magis accommodetur, iisque careat noxis, quibus mercurialia salia obnoxia sunt. Praeparatum hoc *mercurium gummosum* dicunt.

Praeter hydrargyrum gummosum, alia quoque praesto esse solent mercurii praeparata, quemadmodum *sulphuretum hydrargyri nigrum*, seu *aethiops mineralis sine igne*, et *oxydum mercurii sulphurati nigrum*, seu *aethiops mineralis cum igne* paratus; utrumque a granis tribus ad quinque in pueris; adultis vero a granis sex ad scrupulum semissem exhibitum, et per aliquot dies continuatum juvare dicitur in scrophulis, glandularum infarctubus, cutaneis morbis, foedis ulceribus; in chronicis etiam oculorum vitiis optimum habetur.

Sed praestantiora, multoque validiora sunt remedia, ubi acidorum ope mercurius in sal mutatum reperitur. Inter haec principem locum tenet sublimatus corrosivus, de quo superius pro externo usu diximus. Ad internum quod spectat, monere expedit, caute admodum esse administrandum, acerrima siquidem, ac deleteria vi pollet, qua gravia inferre potest mala, nisi exiguis dosibus porrectus, aptisque substantiis tempera-

tus. Satagendum etiam, ut rite sit praeparatus; sequentem methodum pro eo administrando proponunt nuperiores:

℞ *Merc. sublim. corros. grana octo, diss. in s. q. spir. vini, aff. aquae stillat. libr. unam. Sumat aeger parvum cochl. solutionis hujus in poculo lactis, vel decocti hordei, aut mucilaginea alia potione.*

Temperatius remedium sistit pro interno usu mercurius dulcis, qui a granis duobus ad tria, vel quatuor boli, vel pulveris forma semel, aut bis intra diem commode administratur. Ast adnotare oportet alvum generatim movere, et salivae organa afficere, itaut et diarrhoeam, ac salivae fluxum cieat; hinc, ubi diuturnus hujus remedii usus requiritur, ut venerea debellentur symptomata, ventriculus plurimum labefactatur, aliaque oriuntur incommoda; quapropter sapientium Clinicorum consilio summa cautione praescribendum suademus, et cum opio potius sociandum, ut hac ratione ejus actio temperetur.

At datur frequentius mercurius dulcis scopo alvum ducendi potius, quam syphilidis curandae, hinc in hydrope, in glandularum congestionibus, in viscerum imi ventris obstructionibus, tumoribusque, et ad vermes expellendos pueris haud infrequenter, utiliterque exhibetur.

Haud omittenda vero illa mercurii praeparatio nondum vulgatissimo in usu, quae *prussias mercurii* dicitur, cujusque adhibendi modum, et efficaciam celeberrimus in hac Academia chemiae pharmaceuticae Professor, et Medicae Facultatis Taurinensis Decanus Bonvicinus non semel mecum humanissime communicavit.

Prussias itaque mercurii in aqua solutus, ac dein cum mica panis mixtus in pilulas efformetur, quae singulae sextam grani partem contineant. Quoniam autem mercurius acido prussico conjunctus nec ab acidis, nec ab alkalicis, nec a pluribus metallis decomponi patitur, juxta ejusdem cl. Viri experimenta; ideo impune cum alimentis, quoque tempore sumi potest, quibus immixtus facilius a stomacho fertur.

Sed etiam dosi tertiae grani unius partis innoxie datur, quin ullum pariat incommodum; at majori exhibitus vomitum facile producit; minus quoque gustu acer est, ac sublimatus corrosivus, et viginti annorum constanti experientia edoctus radicitus hoc solo remedio, in nonnullis etiam desperatis casibus, syphilidem felicissime curasse, idem cl. Vir mecum communicavit.

Plura alia dicenda suppeterent de variis medicamentis, ac praeparatis e mercurio petitis, sed quoniam haec fuse admodum apud plurimos

scriptores passim inveniuntur, et praesertim apud cl. Swediaur, qui *pharmacopeam syphiliticam* ad calcem egregiae suae tractationis de syphilide tradidit; hinc de iisdem ulterius dicere supersedemus.

§. II.

DE SULPHURE.

Prima forsitan, aut saltem inflammabilium corporum antiquissime nota substantia *Sulphur* est ubique diffusum, ac in plerisque locis immensa copia reperiundum. De ejus tantum medicis viribus dicemus.

Interno minus, magis autem externo usu adhibetur. Nonnulli, Culleno duce, laxantes vires ipsi tribuunt, vix tamen hoc scopo usurpatur. Diffusibiles potius vires ostendit in animali oeconomia, in lymphaticum systema praesertim agentes, ad torpentem ejus actionem ciendam, ad cutis organum etiam excitandum, augendamque perspirationem sulphur merito commendatur.

In hos vero usus vel purum datur, vel minerales aquae eodem impraegnatae praescribuntur; hinc est, ut earum usus, quae *hepaticae* dicuntur, adeo in memoratis casibus proficuus deprehensus sit; quae etiam balneorum forma adhibentur; sed et ceratis, et unguentis sulphur ad-

ditur in memoratorum morborum curatione, scabie praesertim, ubi inveterata fuerit.

Intus sumitur sulphur rite depuratum a granis duodecim ad viginti cum aliquo extracto commixtum; vel tabellae ex eodem conficiuntur.

Balsamum Sulphuris vel *simplex*, aut RULANDI, vel *anisatum*, aut *succinatum* servant officinae, quae praeparata nihil aliud sunt, nisi sulphur cum volatilibus oleis coctionis ope conjunctum, nauseabundum cetera remedium, quod viginti, aut vigintiquatuor guttarum dosi exhibetur.

Pilulae balsamicae MORTONI huc sunt referendae in phthysi pituitosa adeo laudatae; *flores* vero *sulphuris* nihil aliud sunt, nisi sulphur ipsum rite depuratum, danturque a granis duodecim ad scrupulum unum, vel drachmam semis ad summum. In scabie, psora, herpete, aliisque aegritudinibus, quibus tamen, nisi aliis medendi rationibus occurratur, radicitus evellendis non semper valent.

De emollientibus.

Huic remediorum classi adscribenda videntur remedia illa, quae vulgato nomine *emollientia* a medicis dicuntur; haec enim quum externo usu

adhibita immediate supra cutaneum organum actionem suam exerant, nervorumque turbis, ac doloribus sedandis mirum in modum saepe conducunt; hinc aliqua de iisdem hoc loco adjicienda.

Emollientia itaque ea vocantur auxilia, quae solidorum cohaesionem, ac partium, quibus apponuntur, duritiem, ac rigiditatem imminuunt, quod quidem praestare videntur vel aliquid inter solidi vivi substantiam demittendo, quod ejus elementorum imminuat cohaesionem; vel, quod idem fere redit, partium intercapedinibus immittendo aqueas, vel alius generis moleculas, quae fibrarum interstitia laxent, ac rarefaciant, vel etiam quia, solidi vivi sentiendi modum mutant, unde novae nascuntur in eodem vitales affinitates, et conditiones; quovis autem modo operentur, certum est ab emollientium administratione flexibiliores, ac fractioni minus resistentes partes reddi; qui effectus non solum locum habet in partibus quibus immediate applicantur, sed ad dissitas quoque diffunditur; videmus enim unius partis praeternaturalem tensionem, ac rigiditatem late ad alias partes propagari; ac vicissim, laxata affecta parte, etiam reliquas laxari, et emolliri, qui certe effectus non amplius et elementis alicujus additione, aut interpositione, sed sola systematis consensione producitur.

Emollientium actionem summopere calor adjuvat, dummodo moderatus sit, neque tamen haud ultra eum evehatur gradum, qui applicatione sua molestus evadat, aut dolorem inferat. Caloris quippe adjumento facilius permeat aqua, nervosique systematis in universum amicus calor est.

Actuosior adhuc efficitur aquae vis, quum vaporis forma adhibetur, eoque in statu majorem caloris gradum ferre impune corpus potest, ex quo liquet lintea, aut filtra, vel spongiam officinalem intra ebullientem aquam mersa, ac probe dein expressa, dum calidum vaporem diutius emittunt, caeteris aliis applicandi modis praeferenda esse.

Quavis interim forma adhibeantur emollientia, diutius sunt in parte servanda, ut optatus effectus obtineatur; unde fit, ut pulmenti forma magis prosint, quod et humiditatem et calorem diuturniori tempore servat, saepius quoque sunt renovanda, nec generatim, docente CULLENO, minus saltem hora admota manere debent.

Ex dictis vero facile intelligere est, quibus in casibus adhibenda emollientia; quum nempe arentes fere partes sunt, aut rigidiores, aut tensae, aut nimium resilientes, ut sic humentiores, molliores, laxiores, flexiliores reddantur; hinc est, ut musculi remissiores evadant, ac de sui

tensione vasa plus minusve remittant. Ex quibus omnibus irritatio, ac dolor imminuuntur, praesertim in partibus remedio proprioribus; cutis etiam exhalatio promovetur, liberior fit humorum circuitus, ut mittamus illam derivationis speciem ab internis, aut superioribus partibus, quam emollientia praestant versus locum, cui applicita fuere.

Haud ergo mirum, si in morbis inflammatoriis, maximeque in inflammatione ventriculi, intestinorum, renum, et vesicae, in doloribus a calculo, vel aliena re fotis insignem afferant utilitatem; cur etiam morbis capitis, nervorumque succurrant, molestis scilicet amotis irritationibus, atque salubri excitato partium consensu.

Patet etiam, quare tantus sit horum usus in plurimis morbis ad Chirurgiam spectantibus, quum nempe dolores leniendi sunt, calor augendus in parte inflammata, et siccae fibrae humectandae, rigidae molliendae, ac constrictae relaxandae. Hinc in tumoribus, ac ulceribus frequentis usus esse solent ad earum resolutionem, vel suppurationem, aut etiam consolidationem, si lubet, promovendam; unde variis apud Chirurgos indicata nominibus et *resolventia*, *temperantia*, *maturantia* etc. dicta.

Eminent inter emollientia aqua praesertim,

et olea; prior quidem eo caloris gradu, qui nec minor sit Reaumuriani thermometri gradu decimotertio, nec major vigesimoseptimo, quem scilicet sine molestia corpus queat sustinere, vel etiam in vapores, ut diximus, resoluta; olea vero in universum minori caloris gradu imbuuntur. Mediam inter olea, et aquam naturam habere videntur mucilaginosa.

Ex multis seminibus olea expressionis ope parantur, ut ex drupis oleae europeae, ex nucleis amygdali communis superius enarratis; coryli avellanae, aut pini pineae, pistaciae verae; vel seminibus lini usitatissimi, cucurbitae lagenariae et citrulli, cucumeris sativi, et melonis, cannabis sativae, papaveris somniferi, arachidis hypogaeae, myagri sativi, ricini communis, brassicae campestris, nucibus juglandis regiae, etc. Sed et plurimae stirpes mucilaginosam substantiam emolliendis partibus abunde suppeditant, de quibus opportuniori loco disseremus.

Generalis cautela est, ne emollientia remedia, calida praesertim aqua, vaporesque, cum partibus applicantur diutius, ac par est, imposita maneant, aut saepe nimis renoventur, nimia siquidem inducta irritatione, aut nimis laxatis partibus nocere queunt.

Articulus II.

De diaphoreticis.

Alter actionis modus, quem exerunt medicamenta super cutaneum systema, idemque efficacissimum, quamquam non sat cognitus, etsi summopere investigatus, is est, quo ac super cutaneum exhalans organum agit. Quemadmodum enim naturalis ea functio, quae insensilis perspirationis nomine venit ad vitam sustentandam valdopere necessaria est, ita, eadem perversa, vel suppressa fons, et origo est gravissimorum morborum. Quaecumque ideo insensilem perspirationem, vel sudorem promovent *diaphoreticorum* titulo designamus.

Quoniam vero haec functio nec physices, nec mechanices legibus respondere videtur, sed a viribus vitae potissimum regitur; nihil ergo mirum, si plura, quae has immutare valent, ad mutandas quoque perspirationis conditiones summopere conferant, unde liquet, quare eadem temperamento, corporis exercitationi, quieti, vigiliae, caeteris obnoxia sit, et facile perverti patiatur in subjectis praesertim nervosa mobilitate praeditis, in quibus solus aëris contactus cutis sensum, statumque mutare insigniter valet.

Patet etiam, cur plura stimulantia, praesertim diffusibilia vitalem exhalantium organorum actionem valeant concitare.

Ex dictis planum est minime largienda diaphoretica in hypersthenicorum morborum initio, ubi summa est irritatio, viriumque incrementnm; ac ubi ad haemorrhagiam, vel aliam evacuationem morbus vergit; sed in eorum potius decursu, quum nempe per venaesectionem caute, prudenterque institutam molliora vasa reddita sunt. Horum quoque remediorum administratio dirigi debet, habita ratione temperiei, aetatis, sexus, consuetudinis, morbi indolis, epidemicae constitutionis, tum etiam naturae motuum, qui accurate adnotandi; videndumque an per hanc viam salutares moliatur crises.

Neque vehementi incitatione utendum ad insensilem perspirationem promovendam, quae saepe ipsam potius impedire, quam expedire valet, et gravia insuper accersere mala, quod sudorificorum asseclae, elapso praesertim saeculo, summo aegrotantium detrimento, artisque dedecore effecere.

Indicantur ergo diaphoretica in mitiori hypersthenia, in catarrho, rheumatismo, similibusque, ubi solo saepe excitato sudore felix promptaque obtinetur morbi solutio.

Diaphoreticorum actionem adjuvant plura

externa praesidia; ita caloricum, quum solida laxet, poros aperiat, perspirationi ideo faciliorem aditum praebet. Idem praestant frictiones, exercitatio item corporis, equitatio, vectio in rheda, gaudium, chorea, mentis hilaritas, aliaque nervorum actionem concitantia. Neque ullus ignorat, quantum aëris conditiones ad diaphoreticorum actionem promovendam concurrant; quae omnia a Medico ad felicem istorum medicamentorum eventum obtinendum accurate adnotanda.

EX REGNO VEGETABILI.

§. I.

DE GUAJACO.

Antequam summa, ac pene dixerim, specifica mercurii vis ad syphilidem curandam penitus innotesceret, celebre admodum auxilium eidem persanandae apud Medicos erat *Guajacum*, lignum videlicet, quod arbor praebet in Insula Sancti Dominici, aliisque meridionalis Americae regionibus crescens, *Guajacum officinale* a Linnaeo vocatum, cujus cortex etiam, ac resina ad officinas nostras mittuntur eximiis viribus praedita.

Lignum autem e trunco, vel ex majoribus

arboris ramis juxta sui longitudinem, aut transversim exsectum adeo durum est, et ponderosum, ut in aqua subsideat; colorem in medulla ex viridi fuscum, in alburno pallide flavicantem praesefert; vix odorum, nisi parum fuerit contrectatum, saporem habet aromaticum, valde amarum, ingratumque.

Cortex vero ex pluribus stratis constat, quae facile discerpi queunt, extus scaber est, variegatus, maculis livido-griseis, et luteis, interne griseus, vel flavicans, in fragmenta pallide fuscus.

Gummi demum, vel potius resina, quae in officinis nostris prostat, in massas non exiguas conformata occurrit, ponderosa, friabilis, ex varietate coloris flavi, rubri, viridis, profunde fusca, ac subpellucida, cortici adhaerens, aut hujus frustis admixta; sapore donatur amaro, subacri, et pungenti; odore balsamico, gratoque, si purior est.

Velut insigne sudorificum merito aestimatur guajacum, et licet syphilidi radicitus tollendae minime hydrargyro praeferendum credamus, ad ejus tamen morbi symptomata mitiora reddenda, vel reliquias tollendas admodum proficuum esse censemus, praesertim si scrophulosa, aut scorbutica diathesis una cum venerea lue concurrant, vel ob singularem idiosyncrasiam, aut

aliarum aegritudinum consociationem mercurius impar, aut non conveniens morbo sanando, vel etiam noxius credatur.

Magis interim eminet guajaci virtus in rheumatalgia, neque inutilis deprehensa est in nonnullis cutaneis eruptionibus hyposthenicae indolis, vel in corporibus minus robustis. Cutanea quippe vasa stimulando, firmandoque eruptionem promovet, aut suppressam valet revocare.

Datur frequentius guajacum in decoctione, quae paratur ex ligni rasi, vel corticis ligni uncia una in libris duabus aquae ad colaturam librae unius. Potio tamen haec non omnibus grata, eo vel magis quum diu sumenda est. Jungitur etiam sat commode cum sarsaparilla, aut cum ligno sassafras scopo diaphoresim movendi.

Efficacius agit resina guajaci, praesertim si tincturae modo in spirituoso liquido parata exhibeatur, sed nimium excalefaciens est, ac in quibusdam casibus noxia; hinc ad hosce malos effectus vitandos sequenti methodo parandam esse suadet Cullenus: contrita scilicet, ac in tenuissimum pulverem redacta guajaci resina cum sacchari aequali quantitate, additur tantillum ovi vitelli, aut mucilaginis gummi arabici, simulque probe teruntur, donec emulsio fiat, addita aqua communi, vel alia qualibet magis propria stillatitia

vespere sumenda per aliquot dies, qua feliciter usus est in rheumatismo chronico, tum etiam ubi ventriculi affectus, aut dolores vagi in variis corporis partibus atonicae, vel retropulsae podagrae adscribi poterant.

Datur resina guajaci a granis triginta ad drachmam semissem sub forma pulveris.

§. II.

DE SASSAFRAS.

Temperatiores septentrionalis Americae plagas, Virginiam, Carolinam, ac Floridam incolit arbor *Laurus Sassafras* a Linnæo dicta, cujus lignum, ac cortex potissimum ex radice, vel exilibus ramis deglubitus medica sua efficacitate jure fuerunt celebrata.

Usitatius in officinis est lignum, illudque in longa, duriuscula, levia, albo-ferruginea frusta prostat, quorum odor fragrans, sapor aromaticus, subdulcis, aliquantisper acris oleum volatile copiosum destillatione praebet.

Datur vel in infuso, vel decocto; hoc autem, si saturatius est, et calens sumatur, sudorem promovet, iisque in morbis laudatur, ubi sarsaparilla mox tradenda convenit. Ligni uncia semisse pro qualibet aquae libra sufficit, saepe tamen inas-

suetis sub hac forma molestum, quod caput sub initio tentet.

§. III.

DE SARSAPARILLA.

Velut insigne syphilidis remedium aestimatur a multis *Sarsaparilla*, radix nempe a stirpe desumta, quae *Smilax Sarsaparilla* vocatur a Linnæo, et a Peruvia, Mexicoque ab Hispanis ad nos fuit traducta.

Hujusce parvi medullosi vimines eligantur, flexiles, crassi, inodori, cortice extus flavescente, vel rufescente obducti, albamque occludentes medullam concretae farinae ad instar friabilem, glutinoso, ac subamaro sapore praeditam, cujus infusiones et decoctiones materiem amylaceam deponunt.

In stimulantium, ac diaphoreticorum classe radicem hanc collocavit celeberrimus Cullenus, quod saepissime cum guajaco mixta administretur; ei quippe soli minime adeo eximias inesse vires, propria ductus experientia, affirmare non dubitavit, licet quae ab aliis innumeris fide dignissimis auctoribus afferuntur contrarium potius ostendant.

Haud tamen tantam in hoc remedio efficaciam adesse credimus, ut in syphilidis curatione hy-

drargyro praeferendam censeamus, sed levamen hoc in morbo afferre, vel leniendo mala, quae syphilidi superveniunt, vel incommoda arcendo post multiplicem hydrargyri administrationem adhuc relicta, vel faciliorem viam parando ad virus eliminandum, rheumaticos, vel arthriticos dolores, qui una cum syphilide interdum conjunguntur, moderandos inservire, communis fere Medicorum consensus probavit.

Quod si nullius saepe efficacitatis animadversa est, id ex prava remedii qualitate potius, vel aliena smilacis specie, vel exiguae nimis dosi tribuendum esse existimant. Non enim dimidia uncia in aqua decocta intra diem sumenda sufficit, sed duae etiam, tresve unciae exhiberi non raro debent, ut aliquod emolumentum habeatur.

Revera cl. Monteggia in notis, et additamentis ad opus cl. Fritze, quod in italicam linguam vertit, ac Mediolani anno 1806 vulgavit (*), pluribus experimentis ac observatis ostendit sarsamparillam nonnisi magnis dosibus, ac diutius protracta decoctione, saturaque admodum proficere, quemadmodum videre est in mox laudato libello

---

(*) *V. Compendio sulle malattie veneree del Dott.* Gio. Federico Fritze, *tradotto dal tedesco per G. B.* Monteggia, *terza traduzione taliana.*

(pag. 279 et seq.), censetque eas ad curandam syphilidem praeparationes, quae sub nomine *Rob antisyphilitici* LAFFECTEUR, et decoctionis *Pollini* nomine, ut antidota venditantur ex sarsaparilla vario modo parata esse. Casus demum memorat, in quibus ad sarsamparillam confugere optimum ducit, eosque ad septem retulit, scilicet: 1.° ubi de morbi venerei indole non satis certo constat; 2.° quum subjecta scorbuto simul ac syphilide detinentur; 3.° ubi ex mercurio os nimis tentatur; 4.° quum quis ab hydrargyro ophtalmia corripitur, atque metus est, ne visum amittat; 5.° quando morbi venerei cum scrophulosa chronica affectione juncti sunt; 6.° quoties inveterata syphilis in chronicum morbum abiit, cui macies cum lenta febri conjungitur; demum quoties morbus mercurialibus rebellis fuit, licet semel iterumque ex arte administratis.

Conjungitur proficue admodum sarsaparilla cum guajaco, sassafras, vel cum antimonio, tuncque non syphilidi modo, sed et rheumaticis morbis compescendis inservit.

Sarsaeparillae substitui aliquando solet in officinis alia Smilacis species, quae *aspera* a LINNÆO vocatur, in Nicaeensi agro vulgatissima, debilior tamen; imo debillima, ni iners forsitan radix, saltem in regione nostra, licet plurimum

celebrata. Alia adhuc Smilacis species est *Chinae* triviali nomine a LINNÆO insignita, *Radix Chinae* in officinis dicta, quae in China, Japonia, Persia septentrionali, Jamaica etc. oritur. Plurimam amylaceae materiei quantitatem analysi praebet, nec ejus infusum, aut decoctio quidpiam a ferri sulphate immutantur. Radix hujusce plantae unciae semissis et ultra dosi in libris duabus aquae decocta praescribitur, innocuum, sed debile remedium.

Sarsaeparillae analoga demum habita est caricis species in arena mobili sterilissima, quam egregie firmat, crescens, quae ideo *Carex arenaria* dicta est a LINNÆO, cui nonnullae aliae succedaneae carices apud nos etiam obviae substitui queunt, ut *Schreberi repens*, *hirta* etc., quae perinde ac Sarsaparilla adhiberi possunt.

§. IV.

DE DULCAMARA.

Praecedenti succedanei habentur a Medicis *Dulcamarae* stipites, qui autumnali tempore, postquam folia deciderunt, aut vernali tempore ante florescentiam collecti, ac in taleolas secti in usum medicum perducuntur. Ex solanacea planta proveniunt, quae *Solanum Dulcamara*

dicta est a LINNÆO, abunde ad fossas, quandoque ad sepes regionis nostrae occurrens, cujus baccae venenatae sunt, neque ad medicinam recipiuntur.

Licet nihil absolutum de chemica hujusce plantae analysi hucusque proditum sit, constat tamen majorem principiorum copiam ab aqua dissolvi, ac ab alcohole, neque ipsam chemicam analysim nauseabundum hujusce plantae principium, quod solanaceo generi proprium est, destruere.

Innumeri morbi sunt, in quibus profuisse dicitur dulcamara; sed nimis quoque elatae sunt ejus laudes. Generatim in vitiis cutis utilis potius est deprehensa, ut in impetigine, herpete, ac scabie. Proficua etiam reperta est in phthysi incipiente, in syphilide insuper, scorbuto, rheumatismo, aliisque chronicis morbis commendata est.

Dantur stipites, vel in infuso, vel in decocto dosi unciae unius in aquae libris duabus. Sunt qui in pulverem tritam plantam pilularum forma adhiberi posse proposuerint.

Externo usu folia contrita, et applicita, tumores, atque contusiones resolvunt. Decocto etiam ulcera utiliter eluuntur.

§. V.

DE CALAGUALA.

Hispanis, ac Lusitanis maximo in usu, parum in Gallia, nostraque in regione nota radix est *Calagualae* ad stirpem pertinens ex Filicum familia, et Polypodii genere. Peruviani Regni incola est, ac in editis Andium montibus reperitur.

Prostat in officinis radix hujusmodi aliquantisper compressa, subrotunda, tenuis, horizontalis, coloris luteo obscuri, exterius lignea, intus albis, longisque fibris composita, gustus prius dulcis, vehementem paullo post amarorem relinquens. Saepe autem hujusce loco duae aliae radices traduci in commercium solent, quarum una ad *Polypodium crassifolium*, alia ad *Acrostichum Huacsaro* refertur. Exactam hujusce radicis analysim debemus cl. VAUQUELIN, ex qua constat, materiem, quae majorem in oeconomia animali actionem habeat, oleum acre esse, quod ex eadem alcoholis ope obtinetur, quodque in aqua sacchari, ac mucilaginis additione dissolvitur.

Variae, imo adversae sunt Auctorum de hujus radicis viribus medicis opiniones; alii enim plurimum laudant, inefficacem alii omnino esse contendunt, quod forsitan ex difficultate veram calagualae radicem comparandi pendere videtur.

Hinc donec certa, et accurata experimenta in bene servatis radicibus ab idoneis viris habeantur, quae ejusdem in rheumatismo, syphilide, aliisque morbis virtutes confirment, judicium nostrum suspendimus.

Aptior ejus adhibendi modus decoctio; usurpatur in hunc finem dosi drachmarum duarum ad unciam unam in libris duabus aquae fontis ad tertiae partis consumptionem, quae decoctio frigida sumenda. In pulvere quandoque exhibetur dosi drachmae semissis ad drachmam unam.

§. VI.

DE THEA.

Quamvis gratae potionis ergo potius, quam medicamenti scopo generatim sumatur *Thea*, quoniam tamen insigne, maximeque vulgare sudorificum praestat, non inutile erit aliqua de eadem dicere.

Binae theae species in officinis prostant ex fruticibus provenientes, quarum unam *Thea viridis* in China nascens, alteram *Thea Bohea* L. in China, et Japone crescens, cultaque largitur.

Earum folia, ubi teneriora sunt, decerpta, torrefacta, convoluta, exsiccataque, ac per annum clausis vasis servata in Europam deferun-

tur, quae huc delata raro integra fusca, neque fragrantia, neque sapore carent, ac proinde domestico, medicoque usu, nisi alienis fuerint sophisticata, commode inserviunt.

Ex analysi a cl. Cadet instituta constat materiem extractivam, mucilaginem, plurimum resinae, acidi gallici, et tannini principii praebere, ejusque infusionem, ac decoctionem a sulphatis ferri solutione in nigrum praecipitari.

Sunt qui theae potionem laudant, sunt qui damnant admodum; quae opinionum varietas peculiari temperiei, consuetudini, potus quantitati, regionis naturae, ac idiosyncrasiae videtur tribuenda. Constat enim ex thea paullo largiori copia assumta universalem quamdam debilitatem, ad somnum proclivitatem, nauseam, intestinorum cruciatus, pluresque alias turbas excitatas fuisse.

At si modica dosi assumatur, et saccharo edulcorata praebeatur, certum est blande excitare theae potum, placidumque, ac citum sudorem ciere, neque spernendum remedium esse.

Vix in pulverem datur. Frequentissimus ejus usus in infuso est, nec raro cum lacte sumitur. Largior aquae copia pro vehiculo insumta solet pluribus subjectis nocere. Quae diutius servata thea est, minus narcotica, quemadmodum et

magis innocua *Thea Bohea*, ac *viridis*; decoctio aquosa quoque minus ac infusum noxia.

Officinales, et indigenae plures plantae exoticae Theae substitui solent, ut *Veronica officinalis*, et *Alionii*, *Mentha*, *Origanum*, tum et aromaticae, et adstringentes stirpes complures.

§. VII.

DE SAMBUCO.

Omnes *Sambuci* partes in medicum usum perductae sunt, quas inter flores eminent, fructus, et cortex interior. Vulgatissimus frutex ad sepes est *Sambucus nigra* a LINNÆO vocatus.

Flores praesertim sambuci, ubi siccati sunt, vulgatissimum sistunt diaphoreticum remedium; aptum reapse ad blandam perspirationem movendam. Hinc in pulmonali catarrho, in angina, in coryza, maxime ubi levis, et incipiens morbus est, confert. Convenit quoque in retropulsis exanthematis, in variola, rubeola, scarlatina etc., dummodo tamen haud gravibus admodum sint stipatae symptomatis, quo in casu ad actuosiora est confugiendum.

Cortex interior sambuci tamquam hydroticum habetur. Gemmae pro emetico inserviunt. Folia

---

(*) *Sureau* gall. *Sambù* vern.

amara sunt, alvum, interdum quoque vomitum cient. Saepe hydropicorum cruribus imponuntur ad aquam eliciendam.

Flores in infuso utplurimum dantur dosi manipuli semissis, et valentius agunt, quam aqua eorumdem stillatitia. Conveniunt quoque extus pro fotu emollienti, ac laxanti, nec tamen adeo facile in erysipelate, vel oculorum morbis aptandi, ne maceratione nimia partes in pravam suppurationem conjiciant. Fructuum extractum, *Rob Sambuci* nomine notum, tamquam eximium diaphoreticum habetur, etsi vires adeo eximias neque sapor promittat, neque ipsorum fructuum ingenium. Corticis succus a drachmis duabus ad tres, vel quatuor, vel cortex ipse ad uncias duas ex aqua decoctus exhibetur. Gemmae in pulverem redactae ad drachmam semissem usurpantur. Folia in decocto unciae unius dosi in libris duabus aquae insumuntur.

Minus usitata alia sambuci species apud nos ad sepes quoque, fossas, agrorum margines, et ruderata crescens est, quae *Ebulus* (*) dicitur a LINNÆO, cujus tamen principia vehementiora sunt ac in sambuco nigra.

Hujusce plantae radix fortiter alvum movet,

(*) *Yèble* gall. *Lebo* vern.

ac in hydrope plurimum ſuit celebrata. Flores, et baccae diaphoreticae habentur, iisque in casibus conveniunt, ubi sambucum nigram commendavimus.

Radix, et cortex diu protractam decoctionem requirunt, cujus dosis est unciarum duarum, aut quatuor. Infusum florum paratur quoque perinde ac extractum, parum tamen in usu sunt.

Baccas malitiose fermentantibus uvis avaritia rusticorum addit, ut tenuia vina colore saturatiori augeant, plurique vendant pretio.

§. VIII.

DE BARDANA.

Usitatissima nullo non tempore, et admodum celebrata *Bardanae* radix, quae ex *Arctio Lappa* (*) Linnæi, ad sepes, et ruderatis locis apud nos frequentissima stirpe habetur. Dulci, austero, ac nauseabundo sapore eadem pollet, nec aliud ex Chimicis de eadem notum, nisi principia extractiva tam aquae, quam alcoholi ipsam dimittere.

Vulgaris bardanae usus ad diaphoresim citandam, ut tamen non modo in vitales proprietates exhalantis systematis, sed et in urinaria quoque

(*) *Bardane* gall. *Lavussa*, et fructus *Gette* vern.

organa agere credatur. Frequentius tamen a Medicis scopo sudorifero apud nos usurpatur. Hinc in rheumatismo, arthritide, podagra, tum ad leniendos artuum, aliarumve partium dolores, qui syphilidi superveniunt; et ad retropulsa exanthemata revocanda, similibusque auxiliatur.

Prodest insuper in pluribus cutaneis vitiis, ac praesertim in herpete; cl. ALIBERT, qui singulas hujusce morbi species adeo accurate descripsit, observat, haud omnibus, sed iis praesertim convenire herpetis speciebus, quae furfuraceae, aut squamosae indolis sunt, ac quadam cutis ariditate stipantur. Censet siquidem omni cura satagendum hocce in casu, ut systematis cutanei energia exsuscitetur, adeoque balnea, frictiones siccas, ac sudorifica in usum vocanda, inter quae bardana locum habere potest.

Sumi solet bardanae radix in taleolas secta, et in aqua, vino, aut cerevisia decocta; extractum ejusdem a drachma semisse ad drachmam unam praescribitur, non semper tutum medicamentum. Semen bardanae amarum est, et lotii potius excretionem promovens. Dari solet in emulsionem redactum a drachma una ad drachmas duas.

Foliorum succus cum oleo mixtus laudatus est a cl. PERCY ad illinienda ulcera, et ad hae-

morrhoidum dolores mitigandos, nec sine emolumento.

Binas huc refero stirpes ex eadem familia provenientes sudorifera vi non incelebres, nec tamen satis tuto agentes, folia nempe *Cardui mariani*, et summitates *Centaureae benedictae* Linn.; nec magis activi *Scabiosae arvensis* flores, vel *Arundinis Donacis*, aut *Rumicis Patientiae* radices, vel *Ulmi campestris* cortex medius, aliaque similia, quarum virtus, aut debilis admodum, aut multum incerta.

§. IX.

DE SAPONARIA.

Eligenda *Saponaria officinalis* Linnæi ad vias in Pedemontano agro, et speciatim arenosis, et sabulosis locis prope flumina obvia, si fides praestanda omnibus elogiis, quae de ipsa habita a Medicis sunt. Licet debili odore polleat, et amarescenti tantum sapore sit, leniterque acri; chemiae tamen praesidio edocemur infusionem aquosam foliorum ab additione sulphatis ferri nigrescere, dum decoctio nullam ab eodem mutationem patitur, quae primo dulcescens, dein leniter amara est. Saponis autem species in eadem decoctione inest, quae omnibus saponis proprie-

tatibus gaudet, quin tamen ab acidis alteretur. Alcohol partem extractivam ex saponaria educit, quae acris est, et penetrans.

Frequens apud nos hujus plantae usus in viscerum obstructionibus, quae post intermittentes febres, vel iisdem vigentibus occurrunt. Sed etiam in rheumatismo, podagra, et syphilide ipsa ab Auctoribus commendata fuit. Imo in hoc postremo morbo cum chamaepitheos herba, et sarsaparilla juncta ad symptomata venereae luis sedanda, quae mercurii administrationi resistunt, efficacissimum esse praesidium tradunt. Praeter haec juvat in iisdem herpetum speciebus, in quibus superius bardanam commendavimus.

Decoctum praesertim hujusce radicis caeteris antecellit praeparatis; dosis est unciae semissis pro qualibet aquae libra. Succus expressus ab uncia una ad tres datur. Extractum saponariae familiare est, daturque a drachma semisse ad drachmas duas, sed debile, et infidum remedium sistit.

§. X.

DE BALSAMIS PERUVIANO, TOLUTANO, ET COPAIVÆ.

Quamvis plura *Balsami* nomine veniant in officinis, tria tamen praesertim in usu medico esse

solent; *balsamum* nempe *peruvianum*, *tolutanum*, *et copaivae*.

Primum ex arbore elicitur, in Peruvia, Mexico, ac Brasilia crescenti, *Myroxylon peruiferum* vocata, colore varium, modo enim ex albo luteum, modo ex nigro-rubrum; hoc autem saporis est acris, calidi, paullisper amari, ac styracem redolens.

Solvitur hoc balsamum in alkalibus, ac in ovi vitello, minime vero in oleis volatilibus, aut expressis. Destillatione oleum, resinam praebet, et acidum benzoicum.

Manifestam super systema nerveum actionem exerit balsamum peruvianum; valide siquidem exstimulat, calorem adauget, sudorem, et urinas quoque pellit.

Externo potius usu insumitur, et tanquam optimum vulnerarium a Chirurgis habetur balsamum istud. Interno vero datur a guttis triginta ad quadraginta. Essentia, et syrupus etiam hujusce balsami parantur.

Balsamum tolutanum arbor ex Americae provincia Tolu, tum per se, cum facta corticis incisione fundit, quod ex rubro fulvum est, solidum, friabile, odoris ad citrum accedentis, saporis acris, et amaricantis, siccum, et fragile.

Principiis hisce valde ad praecedens accedit,

nec viribus admodum dissimile; mitius agit, ideoque a pluribus Medicis reliquis balsamis solet praeferri: plurimum in morbis pectoris laudatur, pluribusque in casibus abunde perspirationem excitasse fertur.

Vario modo solet intus ministrari balsamum tolutanum; vel enim in pulverem a granis sex ad decem et octo datur pilularum, vel electuarii forma, addita sufficienti quantitate mellis, aut syrupi; vel ejus tinctura alcohole parata, aut syrupus balsamicus nuncupatus, qui juxta pharmacopaeam Edimburgensem paratus coeteris praestat.

Balsamum denique copaibae, vel copaivae aut balsamum brasiliense, seu de copahu e terebrato trunco arboris *Copaiferae officinalis* a LINNÆO dictae, ac in australi America, et occidentali India crescentis, effluit, limpidum, ac fluidum, per aetatem vero lutescens, saporis acris, odoris est penetrantis.

Destillatum cum aqua oleum essentiale praebet, quod admodum odorum est, et albescentis coloris. Ab alcohole autem pelluciditatem amittit, gratumque admodum odorem evolvit.

Perinde ac praecedentia balsama valdopere exstimulat balsamum copaivae, sed videtur peculiari

ratione vires suas modo in systema dermoideum, modo in urinarium intendere.

Datur in apto vehiculo dosi guttarum triginta. Caute tamen ministrandum, quum uberiore aliquantisper dosi nerveum systema valide irritet.

§. XI.

DE BENZOINO.

Ad balsama referri solet resina quaedam rubicundo fusca, fragilis, odoris suavissimi, quae *Benzoës*, *Benzoinum* in officinis dicitur, et ex arbore obtinetur, in Siamensi Regno, vel in Sumatrae Insula, tum abunde quoque in Santa Fè Bogotensi nascenti, quae *Styrax Benzoin* a Wildenowio nuncupatur, et ad decandriam monogyniam pertinet.

Destillatione acidum benzoicum magna quantitate largitur. Alcohol optime benzoës dissolvit, idque constituit, quod *lac virgineum* appellatur.

Raro benzoës adhibetur; laudatur in morbis pectoris adversus tussim, tum ad systematis cutanei vires erigendas. Suffimentis potius inservit, quae ad affecta loca commode dirigi queunt; iisque utuntur Medici in scrophulosis affectibus ad systematis lymphatici actionem concitandam.

Flores benzoës praesertim solent in usum de-

duci, qui nihil aliud sunt, praeter acidum benzoicum cum oleosa materie conjunctum; danturque a grano uno ad decem, nec spernendum in tussi remedium praebent. Acidum benzoicum in alcohole datur a granis quinque ad grana decem.

EX MINERALIBUS.

§. I.

DE ANTIMONIO.

Percelebre olim in alchimia metallum, optimumque etiam nunc in medicina praesidium exhibet *Antimonium*, quod post varia sollertissima Chimicorum tentamina, magnasque vicissitudines, quibus obnoxium fuit, id tamen de eo affirmari nunc posse videtur et emeticam, et diaphoreticam vim in eodem Medicos agnoscere. Hanc vero speciatim exerunt ejus praeparata, inter quae eminent kermes minerale, antimonium diaphoreticum, sulphur auratum, et vitrum antimonii. De prioris viribus alibi, nunc de aliorum virtutibus loquendum.

Et primo quidem generatim statui potest, cunctas antimonii praeparationes in omnibus pene cutaneis morbis utiles esse. Hinc ubi ad cutim

ducendi humores sunt, commendantur. Juvant nempe in cutaneis eruptionibus sustinendis, ac retropulsis revocandis, in herpete scilicet, scabie, similibusque; item in rheumatismo, non in ejus tamen initio, si acutus fuerit; hoc quippe remedio potius exasperetur.

Datur ad hunc finem *antimonium diaphoreticum* dictum, quod non ablutum sit, dosi granorum quatuor, qualibet vice cum apposito extracto commixtum: tum pulvis *Jamesii* ab Anglis admodum celebratur, cui tartratem stibiatum potassae, alibi dicendum, aequiori jure nonnulli substituendum esse contendunt; vel *pulvis Algarotti*, sive *mercurius vitae*, infidum admodum remedium, quod eapropter tamquam supervacaneum modo censetur.

Sulphur auratum antimonii, seu *oxydum stibii sulphuratum aurantium* a granis duobus ad quatuor opportunum praebet etiam medicamentum, quod extracto alicui amaro junctum exhiberi potest scopo sudorem proliciendi.

Vitrum denique *antimonii*, seu *oxydum stibii sulphuratum vitreum* pluribus antimonialibus praeparatis conficiendis potius recipi solet, quam per se exhiberi. Ejus vulgatissimus usus ad parandum *vinum antimoniale* Huxhamii, quod infantibus ad paucas guttas, adultis

a drachma una ad unciam semissem, vel integram propinatum, ab exigua dosi semper incipienpiendo, eamdem sensim sine sensu adaugendo, commodum remedium est seu solum, seu ptisanis, aliisque potionibus admixtum, tum in rheumaticis affectibus, tum etiam in vitiis cutaneis curationem aegre admittentibus, vel ubi jam inveterata sunt.

Notissima antimonialis praeparatio, quae *tartras stibiatus potassae*, seu *tartarus emeticus* appellatur. Hanc caeteris antimonialibus antecellere ad ciendum vomitum Medici affirmant, idemque refractis prius dosibus datus caeteras explere indicationes potest, quas aliis stibiatis medicamentis explere Clinici student, sive solum detur, sive aliis addatur remediis, quae stimulo suo acuit; unde fit ut idoneum adeo remedium praestet, ut sint qui existiment hoc unum sufficere, ut reliquis omnibus stibii praeparatis sine discrimine careamus.

Revera pari ac caetera antimonialia efficacitate cutis perspirationem ad sudorem usque incitare, omnibusque opitulari morbis, quibus generatim stibium conducit, recentiorum Clinicorum observatione compertum est. Callere tamen Medicus debet, qua ratione hoc remedium iis aptet casibus, in quibus juvant antimonialia, ne scilicet ob

nimium stimulum, aut vomitum, aut alvum sudoris loco moveat, aut diutius protracto usu stomachum labefactet: cavendum etiam, ne aqua mineralibus principiis foeta, fructibus, condimentis, acidis, alcalicisque liquoribus, verbo iis, quae ipsum resolvere, aut immutare valent, aeger utatur. Tunc enim vel medicas vires hoc remedium amittit, vel novas assumit, aut nocuas induit.

Salinas praeterea alias Medici adhibent antimoniales praeparationes, quas inter recenseri meretur *murias stibii sublimatus*, seu *butyrum antimonii*, cujus externus usus Chirurgis probatissimus, quum summa celeritate cutim erodat, ac in escharam convertat, unde in callosis, fungosis, ac scrophulosis ulceribus, in corneae staphylomate, in iridis proptosi ex usu est, in quibus casibus penicilli ope ita admovent, ut vix illita loca statim tepido lacte eluant.

Plura dicenda forent de multis aliis antimonii praeparationibus, quarum nonnullae tamquam arcana venditari adhuc solent, sed inutile videtur hic recensere, quum earum diversitas ex vario mixtionis genere, quo antimonium easdem constituit, potius quam a peculiari alia vi pendeat. Has tamen compositionum formulas sapiens Medicus aptius meliusque possit ad opus concinnare.

Nonnullae animales substantiae sunt, quae vitalem exhalantium vasorum actionem exsuscitare potes sunt, sed quoniam effectus hic potius secundarius spectari potest, non immediatus, hinc de iisdem haud hic loci verba faciemus, maxime quod superius jam de ammoniaca, ejusque praeparatis loquuti simus.

ARTICULUS III.

De remediis super cutaneum sensile organum agentibus.

Tertius actionis modus, quo medicamenta cutaneum afficiunt organum, is traditur, qui ejusdem respicit sensilitatem; acerrimo quippe sensu cutim pollere, et ejus peculiaris structura, tum phoenomena innumera evidentissime comprobant. Vario tamen modo in diversis corporis partibus, tum pro diversa aetate, sexu, coeli conditione est temperata, ut ad haec omnia attendendum sit, antequam de remediorum super ipsam actione aliquid statuamus.

Mirum insuper consensum fovet cutis cum universis corporis partibus, speciatim vero cum mucosis cibarii canalis membranis, unde explicatur, cur in exanthematibus nauseae, vomituritiones, similia excitentur; unde etiam patet, cur plura remedia vitalem horum organorum potestatem attingentia cutis vitiis saepe occurrant. Quibus addas exhalantium vasorum actionem a calida potione illico concitatam; digestionis incommoda a male administrato balneo; uberiorem urinae fluxum a frigore plantis pedum suscepto, salacitatem majorem in iis, qui herpete, scabie, similibusque cutaneis eruptionibus detinentur etc.

Est vero cutis ob eximiam sensilitatem plurimis morbis obnoxia; in ea enim exanthemata febrilia plura sedem habent, ut erysipelas, variolae, rubeola, scarlatina, necnon chronica, ut tinea, lepra, herpes, scabies, ceteraque acerrimum in cute pruritum inducentia, quo scalpere aegri coguntur interdum ad sanguinis usque extillationem.

Praeter haec cutis vitia, alia adhuc enumerantur eidem propria ab insectis quibusdam profecta, ut phthyriasis, in qua tantus, tamque intolerabilis cietur cutis pruritus, ut et irrequietos aegros efficiat, et ad scalpendum cogat usque ad cutis ipsius dilacerationem; quae incommoda

peculiari cutis, nec satis adhuc notae dispositioni tribuuntur, plurimum simul adjuvante munditiei neglectu.

§. I.

DE ELECTRICITATE.

Minime opus est praeclara tot, tantorumque Physicorum, Italorum praesertim, scripta de electricitate commemorare; neque etiam immortalis Beccariæ, aliorumque illustrium apud nos Virorum de hac re inventa referre, aut electricitatis leges percensere; ea suffecerit indicare, quae ad potentissimi, actuosissimique istius fluidi in animalem oeconomiam influxum spectant, scopo curationis morborum.

Ab hoc igitur fluido cuncta animalis oeconomiae systemata afficiuntur; arteriarum contractilitas augetur, citatioresque earumdem micatus fiunt; calor intenditur, humorum secretiones, sudoris potissimum adaugentur, peristalticus intestinorum motus intenditur, vividior uteri actio fit, suppressosque revocat menses etc.

Adde ex vehementiori electricitatis applicatione sive per scintillas, sive per ictus musculorum involuntarias fieri contractiones, intenseque rubere partes, quibus applicatur. Quae omnia de-

clarant quam valide in corpus omne, tum etiam in cutaneum systema fluidum istud operetur.

Quod si in statu sanitatis tam manifesti effectus ab electricitate producuntur; haud minores edere in morborum curatione cordatiores practici, et quotidiana experientia confirmant. Hoc quippe praesidio nervorum actio, et musculorum irritabilitas exsuscitatur, unde perspicuum fit, quare in paralysi, amaurosi, torpore, sensus alicubi imminutione, in surditate, in convulsivis quoque affectibus, chorea S. Viti, aliisque profuerit; insuper in ischiade, rheumatismo, in scrophulis, retentis menstruis, quin et ad febres ipsas intermittentes fugandas utiliter aliquando adhibitam electricitatem certa docent observata.

At varias hic non recensebo methodos, quibus Medici usi sunt ad electricitatis administrationem; haec quippe ultra nobis praefinitos limites perducerent; qui vero haec desiderat, adeat Beccariæ, Cigna, Bertholon, Gardini, Cavallo, Mauduyt, aliorumque celebrium Virorum scripta.

Neque etiam dicere adjiciam de eximio, ac celeberrimo invento, quod summo viro Bononiensi Physico Galvani tribui solet, unde *Galvanismi* nomen tractum; tot enim, tamque diserta de hocce scripta, etiam in regione hac ipsa nostra suppetunt, ut memorasse sufficiat *galva-*

nismum iisdem in morbis fere commendari, in quibus electricitas laudata est; illud tantum sciendum validius operari *galvanisationem*, adeoque cautius administrandam; denique enim et electricum fluidum, magisque adhuc galvanicum, ni prudenti, doctaque manu dirigantur, non modo non prodesse, sed nocuisse saepe visa nimia efficacitate sua animadversa.

§. II.

DE MAGNETISMO.

Quamvis praestigium potius quam remedii genus habendum, quod a Mesmero, ejusque assectis de *Magnetismi animalis* viribus in morbis ex nimia sensilitate, atque irritabilitate ortis traditum est, novandi potius desiderio, ac lucri cupiditate invectum, et ad leves tantum homines, ignarumque vulgus decipiendum usurpatum; haud tamen hic penitus de eodem silendum, ut constet scilicet totam hanc doctrinam hypothesi fere inniti, nulloque sat certo fundamento firmari, unde si quid boni a magnetismo fluxit, id sit a sociatis simul remediis, vel a commota imaginatione repetendum, unde laudandae leges, quibus hoc artificii genus severe vetitum fuit.

Quae de magnete, aut limatura martis vi ma-

gnetica imbuta; tum de *Perkinismo*, similibusque praedicantur, hic libenter omittimus, quum nec sat certe votis respondeant, nec Medicorum experientia sat sint comprobata, et vix nunc temporis a sanioribus Medicis usurpentur.

§. III.

DE EPISPASTICIS.

Epispastica vulgo dicuntur remedia, quae cuti applicita ipsam rubefaciunt, et longiori mora cuticulam in vesicam attollunt sero plenam; quorum usus est non tantum topice agere, sed et ad remotas partes actionem suam consensu propagare; qua agendi ratione humores a morbidis partibus avocare non raro creduntur, interea dum partem ipsam peculiari modo sollicitant, excitantque. Ad hanc classem vesicantia, sinapismata, fonticuli, setacea, cucurbitulae referuntur, quibus nonnulli addunt moxam, et ustiones ipsas.

Vesicantia vix ab epispasticis differunt, nisi quod actuosiora sint, et citius vesicam attollant, hinc solo agendi gradu discriminantur; ex his perspicuum est in morbis ex languore natis, aut sociatis, aut ubi mucosum systema, aut viscerum parenchyma sunt excutienda, fluidorumque circuitus expediendus, quammaxime indicari.

Juvant ideo in catarrho, et pneumonia, quum expectoratio promovenda est, quibus in morbis coxis, vel tibiis applicita non modo expectorationi favent, sed spirandi summam difficultatem imminuunt, ac levant, practicis omnibus consentientibus. Imo eadem dolenti, affectoque loco applicita summopere prosunt, irritatione nimirum in externo inflammato organo inducta, qua partis incitamentum mutatur, ejusdemque morbosus status ad salutarem resolutionem facilius perducitur. Caute id tamen efficiendum, nec nisi moderato prius opportunis venaesectionibus inflammationis impetu; tum ubi ob pulmonalium cellularum infarctum metus est, ne ab admotis localibus epispasticis novae cieantur inflammationes; tum demum ubi metus quoque est, ne vesicatorio gangraena succedat, quod in hydropicis praesertim advertendum.

Conveniunt insuper in febribus cum summa virium dejectione junctis, typhis scilicet, synochis, confluentibus variolis, tum ubi repercussa exanthemata ad cutim sunt revocanda, nec tamen hisce in casibus adeo cunctandum, ut vires exhaustae sint, quum tunc ulcera mali moris, aut gangraenosa produci queant, nullusque tunc bonus a vesicantibus effectus sperari possit.

Neque etiam prorsus fidendum evacuationis

illi, quae ab applicitis vesicantibus cieri solet, nec ab hac sola curatio exspectanda, ideoque appositis remediis, unguentis promovenda, uti quidam solent, rati hac via materiem morbificam eliminari: quum fluxu nimio vires aegrotantis magis magisque infirmentur, ac in perniciem ruat morbus; *haud* quippe *suppuratio*, ut recte advertere videtur STOLLIUS, *sed stimulus* a vesicantibus inductus *prodest*.

Chronici quoque complures affectus valde a vesicantibus levantur. Ita in doloribus partium pluribus, ut capitis, artuum, in ischiade praesertim, rheumatalgia; tum in epilepsia, paralysi, ac in apoplexia ipsa laudantur.

Applicari consuescunt vesicantia internae tibiarum, vel coxarum parti, nucae, brachiis, interdum dolenti loco, ut thoraci etc.; quandoque tamen rubefaciendi, ac stimulandi ergo modo uni, modo alteri parti apponuntur, removenturque, antequam vesicam inducant.

Parantur autem vesicantia vel ex emplastro, aut cerato, ut vocant epispastico, cujus formulam tradit Pharmacopaea Taurinensis pag. 243, cujusque dosis pro quolibet vesicante drachmarum duarum communiter esse solet; non raro tamen, pro re nata, ad unciam semissem. Quum eo fine applicantur, ut vesicam excitent, per duodecim

horas applicita servantur, si autem, ut solummodo rubefaciant, paucis tantum relinquuntur. Saniores practici suadent emplastrum hoc aliqua camphorae dosi miscere, quo ejus acritas temperatur, et efficacitas simul non imminuitur.

Epispasticum quoque efficacissimum sistit *sinapismus*, qui fermenti panis acidi unciis tribus, seminum sinapis albae, aut nigrae pulveratorum uncia una semisse; aceti fortis unciis tribus simul commixtis, et in cataplasmatis formam redacti conficitur. Sic parati sinapismi plantis pedum, vel aliis partibus applicantur, quibus si brevi adhaeserint, mordice afficiunt, humores attrahunt, suoque stimulo eo deducunt. At mora diuturniori vehementissime irritant, et dolorem cient, epidermide in magnam vesicam elata, vesicantium more, quod ubi nolumus, brevi in parte relinquenda.

Illud autem commodi praestant sinapismi, ut facile, et saepius renovari patiantur, nec humoris evacuationem faciant, iisque careant incommodis, quae saepe ab epispasticis cantharides recipientibus inducuntur. In iis proinde, qui renum, aut vesicae morbis detinentur, imponi absque ullo periculo queunt.

Neque negligenda videtur rubefacientis remedii applicatio, quam praebet resina solida, seu

pix burgundica. Ea nempe in emplastri modum super alutam extensa, ac inter scapulas imposita, dummodo bis terve in hebdomada abstergatur, satis attrahit, et in rheumaticis pectoris,, tum in catarrhalibus pertinacissimis affectionibus non raro profuisse traditur.

Potentius rubefaciens praestat *Euphorbium*, succus videlicet, quem *Euphorbia officinalis* Linnæi, in Æthiopia, aliisque Africae provinciis vel sponte, vel corticis incisione emittit, qui concretus ad nos in grana adfertur; sed acerrimus is est, nisi vetustate effoetus, unde vel et extus licet appositus gravia inferre mala valet.

Vesicantibus proxima sunt ulcera a fonticulo, et setaceo excitata. Priora scilicet idoneae corporis parti incisione, vel ustione, vel erosione apto medicamento inducuntur, atque immisso in ea globulo cereo, aut ligneo, ne coalescant diuturnum, imo perpetuum, si velimus, humoris fluxum faciunt, quo modo irritatione in parte constanter producta vitalis potestas versus eam utiliter dirigitur, ac serosi humoris effluxu inde excitato, utilitatem minime despiciendam praestant. Instituuntur frequenter in brachiis, aut internis femoris, tibiaeque partibus, ubi musculorum occurrunt interstitia, in quibus facile, et absque dolore globuli retinentur, meliusque humor effluere potest.

Laudantur vero haec praesidia in chronicis pluribus affectibus, et praesertim in capitis morbis, in oculorum, aurium, et pectoris facile redeuntibus affectibus, rheumatismo, scrophulis, similibusque. Atque hisce quidem in casibus suadent proximioribus affecto loco partibus esse instituenda.

Pares cum fonticulis utilitates, et fortasse majores habet *setaceum*, ulceris nimirum species, quae in occipite, aut inter scapulas excitatur. Iisdem fere morbis aptantur setacea, ac fonticuli, in ophtalmia scilicet, cephalalgia, stupore, ac viscerum imi ventris infarctubus, idque habent commodi, ut humorum derivationem ex peculiaribus organis prompte, feliciterque efficiant.

Frequentius nunc in Europa minori cum incommodo, et pari, nisi forsitan majori cum emolumento, ea Medici utuntur epispastici specie, quae e cortice *Daphnes Mezerei*, seu *Gnidii*, aut *Laureolae* sumitur; ejus enim sive e radice, vel a trunco, aut e ramis deglubiti cum recentis, tum sicci ex aceto, vel aqua macerati frustulum brachio applicatur, ubi exigua fovea est inter musculum bicipitem, et deltoideum, dein Hederae Helicis folio, et spleniolo imposito deligatur; sic renovato per duos, aut tres dies apparatu, supposita cutis ulceratur. Interdum pruritu nimio

molestum evadit emunctorium istud, quo in casu inflammata pars tepenti aqua, vel malvae decocto eluenda. Hoc autem remedii genus tam in rheumaticis inveteratis affectibus, quam in chronicis oculorum, aurium, et cutis vitiis, pluribusve aliis morbis opportunissime adhibetur.

Ad rubefacientia vero referendae *cucurbitulae*, uti vocant, *siccae*, quibus supposita pars in tumorem attollitur, ac rubra evadit, advocatoque humore repletur. Crebro hinc in iis casibus administrantur, ubi partium vis, et actio sunt concitanda; variis proinde corporis partibus admoventur, et quidem frequentius dorso, scapulis, occipiti, coxis, carnosisque locis, raro autem hypochondriis, pedibus, ventri, et capiti.

Siccis cucurbitulis interdum praeferuntur illae, quae *scarificatae* appellantur, quibus proxime, et protinus vasa deplentur partium, queis applicantur, et circuitus expeditior redditur; unde in inflammationibus tonsillarum, pectoris, aliarumque partium post peractas generales venaesectiones, tum in prima variolarum periodo, ubi difficilis eruptio est, ac debilitatis symptomata adparent, summopere commendantur.

Restat, ut pauca adjiciamus de moxa, et ustionibus; *moxae* quidem nomine intelligitur grisea lanugo, quae e foliis tusis, tritisque *Artemi-*

siae vulgaris instar coni contortis inurendae cutis particulae affixa, atque accensa ustionem inde cum dolore producit, sicque mutationes salutares admodum in quorumdam chronicorum morborum, arthritidis, rheumatalgiae, similiumque curatione inducit.

Ustio demum, seu actuale cauterium, quod candenti ferro diversam formam pro vario ustionis modo, et loco habente admovetur subjectam illico cutim inurens, veteribus, et recentioribus probatissimum auxilium est in contumacissimis chronicis morbis, puta inveterato rheumatismo, et ischiade nervosa, cujus historiam, felicemque tanti remedii applicationem accuratissime tradidit celeberrimus Neapolitanus Medicus Cotunnius, tum etiam in paralysi, diutina cephalaea, antiquis aurium, et oculorum morbis, ejusque modi aliis.

§. IV.

DE BALNEIS.

Balneorum usum sive ad quamdam laxitatem, munditiemque universae cuti restituendam, sive ad utilitates alias olim apud Veteres familiarissimum, atque apud nos non infrequenter summi momenti habitum semper fuisse, priscorum monumenta, et recentiorum scripta abunde tes-

tantur; extant quippe adhuc Romae, tum alibi etiam, quae splendidissimam in publicis balneorum aedificiis magnificentiam planissime demonstrant.

Id ipsum quoque nostris diebus multa passim aedificia ostendunt ad id opus extructa, omnique commodorum genere abundantia.

Dividi solent balnea in *calida*, *temperata*, et *frigida*, quae rursus in *communia*, et *mineralia* dispescuntur.

Ob varias, quas excitant, balnea, caloris, teporis, ac frigoris sensationes, diversos, quandoque contrarios exerunt effectus. Generatim tamen calidiuscula balnea, sed praesertim temperata nimiam vasorum, ac systematis muscularis contractilitatem imminuere creduntur; ex quo consequitur, eadem in hypersthenicis plerarumque partium affectibus, morbisque exanthematicis utilia esse posse, ac convenire insuper quoties cutanei systematis actio est infirmata, ac in chronicis eruptionibus foedatur; praesertim ubi ab immunditie morbus ortum duxit.

Propter eamdem vim sedantem patet, cur balnea morbis nervorum spasmodicis sic dictis succurrant, uti et in colicis intestinorum doloribus, dirisque renum, et vesicae cruciatibus, iis praesertim, qui a calculi praesentia foventur.

Balneis modo dictis nonnulli anteponunt quae vaporis forma adhibentur, rati sic facilius per cutaneos meatus penetrare aquam, et cutim relaxari, et emolliri, multigenisque morbis, tum cutanei organi, tum aliarum partium aptius accomodari.

Pauca nunc de frigidis balneis adjicienda. Horum quippe effectus, tum consuetudini, tum frigoris gradui, tum subjecti mobilitati, ejusque virium conditioni respondere consuescunt. Qui haec balnea ingrediuntur, spasmodicam cutis constrictionem illico persentiunt, ita ut instar deplumatae anseris evadat, nec convulsivi saepe motus absunt; respiratio brevis, anxia, laboriosa; minima cutanea vasa contrahuntur, livet primo, dein pallet cutis, artus crampis tentantur; solidarum partium volumen imminuitur, ulcera subsident. Interna viscera quoque afficiuntur, frequens mingendi cupido, item sensilitas, ac irritabilitas minora fiunt, humorumque turbatur circuitus etc. Hisce porro succedunt effectus alii pro secundariis habiti, seu sympathici, unde nonnulli vim eorumdem balneorum tonicam deducunt. Saepe enim contingit, ut a frigidorum balneorum usu subjecta quaedam vividiora, robustioraque evadant, humorumque expeditior habeatur circuitus, digestio etiam facilior, verbo,

vitales actiones majori cum alacritate exerceantur.

Hisce freti observatis contendunt frigida balnea iis praesertim aptari, qui digestionis, nutritionis, perspirationis, similium vitiis laborant, tum iis, qui nervosis morbis torquentur, nimiaque sensilitate, et irritabilitate praediti sunt, ac demum in cutaneis ipsis eruptionibus, in quibus calida balnea proficua esse diximus.

Licet haec, quae a sapientissimis caeteroquin Viris traduntur, haud contradicere animus sit; caute tamen admodum roborandi scopo frigida balnea adhibenda esse arbitramur, neque facile concedenda iis, qui nervosi systematis nimia mobilitate pollent, vel anteacto morbo fracti, aut profusis evacuationibus infirmum, debileque corpus habent; iis vero praesertim utilia esse, qui nervosis detinentur affectibus cum hypersthenica diathesi junctis, uti phrenitide, mania, similibus.

Quid de aquae marinae balneis sentiendum sit, quidve de aquis thermalibus, earumque usu, non ulterius vacat inquirere; adeat autem quivis, prout libuerit, peculiares, et absolutissimas de his tractationes a Villanio, Marcardio, pluribusque aliis clarissimis Viris traditas.

SECTIO TERTIA.

DE REMEDIIS TONICIS.

Quamvis ventriculus praecipuum, magisque aptum organum sit ad excipienda ea, quae impressionem in hoc viscere efficiant, et ad universum dein corpus diffundant, idque ob specialem, qua gaudet, eximiamque, ut nonnulli vocant, *fibrillarem contractilitatem*: adeoque quibusdam placuerit sub hocce potius respectu actionem suam exerere substantias, fibrillarem nempe hanc contractilitatem afficiendo, suosque effectus alibi manifeste producendo: nos tamen de remediorum effectu praecipue solliciti, modum nunc mittimus, quo idem eveniat; receptoque vocabulo *tonica* appellamus remedia sive substantias illas, quae sui administratione corpori robur, ac firmitatem impertiuntur, sive concitata nervorum actione horum influxum in motrices fibras augeant, sive his arctiorem nexum concilient, seu potius utraque ratione operentur.

Ex quibus liquet nos tonicorum nomine ea intelligere medicamenta, quae hos effectus gignere agnita sunt, quae nempe sub *amarorum, stimulantium permanentium*, vel *adstringentium*

titulo vulgo Medici indicarunt, non autem ea, quae licet stimulando nervorum actionem valdopere etiam adaugeant, eorum tamen effectus diuturno haud tempore perdurat, quemadmodum ea sunt, quae *stimulantium diffusibilium* nomine a Brunonianis dicta fuerunt, quaeque in praecedenti remediorum classe tradita sunt.

Ex dictis patet jam quibus in morbis tonica conveniant remedia, iis nempe, qui jugem fibrae debilitatem comitem habent, sive haec morbi caussa sit, aut si lubet, tantum effectus; quum experientia constiterit istorum remediorum administratione morbos hosce tolli, eorum scilicet caussas, effectusque. Hinc minime mirandum, si in cachexiis, hydrope, chlorosi, rachitide, scorbuto, et in multis nervorum morbis, necnon in diuturnis febribus, et haemorrhagiis, quas dicunt, passivis, in peculiarium quoque viscerum debilitate, pulmonum praecipue, et ventriculi, adeoque in tussi chronica, asthmate, dyspepsia, anorexia, diarrhaeis, leucorrhaea, gonorrhaea, in podagra etiam, similibusque et jure, et multum laudata sint; haud etiam mirum, si aegrotorum viribus praegresso longo morbo fractis reficiendis opportunissima inventa sint; de quibus omnibus fusius deinde ac singillatim dicendum.

Illud tamen in antecessum monendum, cautum

esse debere tonicorum usum, nec diu nimis in eorum usu insistendum, ne scilicet nervosum systema, ac praesertim stomachi vires pessundentur. Suspensa quoque manu exhibenda eadem, quum pars aliqua peculiarem sensilitatem, aut irritabilitatem ostendit, aut seriore aliquo tenetur dolore; sed de his omnibus aptius suo loco sermo erit.

EX REGNO VEGETABILI.

§. I.

DE CORTICE PERUVIANO.

Inter praestantissima, vereque efficacia tonica medicamenta jure collocandus videtur *Cortex peruvianus*, seu *China China*, aut *Quinquina* dictus, stimulantium, uti vocant, permanentium princeps, et ob miras, ac multiplices reapse efficaces vires adeo nostris temporibus celebratus.

Mirandum tamen, remedium istud barbaris Indis notissimum, diu adeo cultis gentibus ignotum mansisse, quum anno solum 1640 Europaeis innotuerit, scilicet, postquam uxor Peruviae Pro-Regis Comitissa *del Cinchon* intermittenti febre graviter divexata, hoc adhibito remedio illico

feliciter salutem recepit; hinc vero in Hispaniam advectum, dein a Jesuitis ad Cardinalem Delugo Romae degentem missum distribui febrientibus caepit, sub nomine *pulveris Jesuitarum*, aut *pulveris Cardinalis Delugo*, ita ut ejus fama per Italiam, Galliam, Germaniam, Angliam, ubique demum terrarum pervaserit.

Quis autem hoc excogitare potuisset, adeo celebratum remedium, ita repente pene neglectum fore! Id tamen evenisse legimus, sive quod a mercatoribus fraudari coeperit haec merces, sive quod a Medicis nimis parva dosi praeberetur, quae morbo curando impar esset, donec tandem strenuus vir Robertus Talbot Anglus, Sydenhamii fretus auctoritate largiori dosi illud administrans febres statim mirum in modum dispulit, ac justum praeparationis modum iterum revocans, Ludovico XIV magno tunc Galliarum Regi ejus recte administrandi rationem aperuit, unde feliciter factum, ut hujus Regis munificentia saniorem corticis exhibendi methodum in toto terrarum orbe Medici didicerint, atque ita tantum remedium ad annos xxv fere omissum, summa humani generis utilitate anno 1682 ad pristinam demum gloriam restitutum fuerit.

Primam plantae notitiam, qua peruvianus cortex eruitur, debemus celebri viro De-la-Con-

DAMINE, qui historiae naturalis studio remotissimas peragravit regiones; sed et alii post ipsum naturalem ejusdem arboris historiam quoque tradiderunt, diversasque species accurate designarunt, e quibus cortices quoque in usum medicum frequentius desumi consuevere.

Hi autem cortices ad quinque nunc satis apte cognitas species a recentioribus materiei medicae scriptoribus referuntur, quae omnes ad stirpes pertinent ex *Cinchonae* Linnaeano genere, et *Rubiacearum* familia, etsi tamen aliae etiam *Cinchonae* species, aut varietates recensentur optimum juxta nonnullos corticem praebentes.

Prima itaque, vulgatiorque corticis species ea est, quae *China-china sub obscura*, vel *grisea*, aut *loxiensis* dicitur, et ex arbore educitur in montibus prope Loxam crescente, *Cinchona officinalis* a LINNÆO vocata, et recentius a celeberrimis viris HUMBOLDT, et BONPLAND *Cinchona Condaminea* nuncupata.

Cortex hic in frusta advehitur in se convoluta, exilia, lineae crassitiem, et digiti longitudinem vix excedentia, extus rubro intense fusco colore praedita, et epidermide scabra non raro canescenti, ob accretam quamdam lichenis speciem foliaceam, albidamque; intus autem levia sunt, pallidiorique rubro, ac ad cinnamomeum acce-

dente colore, quem pulverata servant, donata. Eorum sapor amarus, ac proprius, valdeque stypticus se prodit. Rejiciendus cortex nimis amarus, et acris, intus griseus, aut pene insipidus, et effoetus ex alno, ceraso, etc. sumtus, vel aloës succo, aliisque adjectis habens amaritiem.

Altera species plurimum etiam celebrata, eademque rarior *China-china aurantiaca* dicitur, et ad arborem spectat, quam *Cinchonam lancifoliam* Mutis, *Cinchonam nitidam* Ruiz, et Pavon peruvianae Florae Auctores praeclarissimi nuncuparunt. Haec autem editos, frigidosque Andium montes, ac sylvas incolit Regni Santa Fè in provincia Fusagasugae.

Ne vero cortex iste cum flavo confundatur, juvabit utrosque conterere, simulque et pulverem et tincturam inde comparare. Internus praeterea corticis color fulvus est, ad mellis colorem accedens, qui pulveratus, aut in aqua mersus intensior evadit, quique degustatus cum amaritie saporem evidentissime aromaticum, parumque admodum adstringentem habet; unde fit, ut quum aromatico principio caeteris longe praestet, in nervosi generis morbis summopere commendetur, et intermittentibus febribus debellandis aliis omnibus praeferatur.

Venit nunc *Peruvianus*, sic dictus, *Cortex*

ruber ex *Cinchona oblongifolia* Mutis, seu *Cinchona magnifolia* Ruiz, et Pavon proveniens, et abunde in Peruviano, ac Santa Fè Bogotensi Regnis nascenti, qui longioribus, crassioribusque valde frustis, ac vulgaris adfertur, intus rubicundum colorem referens; extus asperum est, multisque transversalibus fissuris distinctum. Tam amaritie, quam adstrictionis sensu vulgarem superat: hinc in scorbuto, gangraena, adynamicis ita dictis febribus, et generatim in morbis a deperdito nimis fibrarum tono solet anteponi.

Quarta vero species *Cortex flavus* nuncupatur, et anno 1740 omnino cognitus, ac pervulgatus fuit; atque arbor hunc corticem suppeditans est *Cinchona pubescens* Wildenow, *Cinchona micrantha* Ruiz, et Pavon, in frigidis, editisque Peruviani Regni montibus crescens.

Cortex hic subplana frusta refert coloris pallide flavi, qui intensior evadit, ubi in aqua mergitur, magisque pallescit, quum in pulverem redactus est. Ejus infusio frigida levem admodum tincturam praebet, calida vero efficaciorem. Insigniter amarus est hic cortex, nullumque adstrictionis vestigium linguae, aut palato, dum manditur, relinquit.

Quinta demum corticis species illa traditur,

quae *Chinchina* de *Santa Fè* in pharmaceuticis officinis dicta est, cujus virtutes illustris Mantuanus Medicus Asti libello quodam suo plane commendando nobis prodidit. Hunc corticem habemus ex *Cinchona macrocarpa* W., seu *Cinchona ovalifolia* Mutis in Santa Fè Bogotensi excrescenti.

A caeteris, quas diximus, corticis speciebus distinguitur, ob exiliora frusta albi coloris, quem intus referunt, quique ob mersionem in aqua vividior fit. Tam frigida, quam calida tinctura principio amaro admodum imbuitur, et quammaxime spumosa est. Si fiat alcohole, minus efficax, minusque spumosa est. Cortex autem iste admodum amarus est, et acerbus.

Licet plurimi Medici hunc corticem minus efficacem existiment, ac ob exiguam admodum adstringentis principii vim videatur magis convenire in affectionibus febrilibus, ac inflammatoriis, in quibus reliquae species nocerent, nemo tamen diffiteri potest illius usum, non minus ac illum vulgatioris peruviani corticis, commendabilem esse.

Diversa quidem a Physicis, Medicisque instituta tentamina ad principium illud peruviani corticis determinandum, a quo vires ejus medicae pendent, sed quamquam nonnulla utilia deprehensa sint,

atque in lucem edita, nunquam tamen, quod sibi proposuerant, omnino absolvere potuerunt.

Chimici potius, et inter hos cl. Viri Fourcroy, et Vauquelin, ingentibus laboribus, accuratiori instituta peruviani corticis analysi, de intima horum principiorum natura quidpiam certius nobis nuper tradidere; adeo ut haec constituentia principia nobis modo innotescant non solum, quae pertinent ad vulgatiorem, sed etiam ad varias corticis peruviani species.

Qua autem ratione hi praeclarissimi Viri, aliique praestantissimi Chimici illa invenerint, non referam, tyrones potius hortabor, ut ipsorum adeant eximia scripta, a quibus haec satis abunde haurire quisque eorumdem potest. Illud tantum monebo, principia, quae ex diversis corticis speciebus educta sunt, ostendere, adesse substantiam extracto-resinosam, et majorem, vel minorem oxygenii copiam, ex cujus majori quantitate deducunt rationem, cur facilius in aqua dissolvatur, majoremque obtineat adstringendi vim.

Ostensum quoque acidum continere sui generis, quod *kinicum* appellandum esse credidit Vauquelin, quodque cum calce commixtum *kinatum calcare* constituit; item gelatinam animalem, et tanninum continet; ferrum insuper,

variasque salium species. Ex quibus singillatim collectis, comparatisque nonnulli conjiciunt ad tres potissimum classes varias corticis species esse referendas; quarum prima, eas complectitur, quae *tanninum* praecipitant, minime vero gelatinam; secunda, quae gelatinam, minime vero tanninum; tertia demum illas respicit, quae una simul *tanninum*, gelatinam animalem, et tartritem potassae antimonialem praecipitant. Hinc vero explicatur, cur chimici labores de china-china adeo dissimilem exitum inter se sortiti sint, quod evenisse quoque in analysi aliorum vegetabilium aeque satis constat.

Quibus curandis morbis, qua ratione, quibusque sub cautionibus adhibendus sit cortex, nunc dicendum. Primoque eximia memoranda ejus vis in febribus intermittentibus hyposthenicae indolis, quibus curandis cunctis aliis remediis palmam praeferre, et ut earumdem specificum aestimari pene omnes consentiunt, quin tamen idem sit consensus de modo, ac de rerum adjunctis, quibus cortex aptandus sit. Quidam enim haud in febrium initio, nec nisi primis viis expiatis, dandum esse corticem suadent, alii paullo ante paroxysmum, longiori alii intervallo, nonnulli partitis vicibus, plerique demum magna illico dosi porrigendum esse contendunt. Quae

omnia, licet in tanta casuum diversitate varia admodum esse queant, generales tamen statuendae regulae circa tutiorem, utilioremque corticis administrationem.

Quapropter, ubi febris indoles cognita est, typusque statutus, corticem peruvianum protinus dandum esse censemus, licet mites paroxysmi sint, emetico tamen quandoque prius adhibito, quum praesertim delitescentis in primis viis saburrae manifesta indicia sunt, ut oris amaror, linguae foeditas, flavedo, nauseae, vomituritiones, foetens halitus, similia; vel purganti exhibito remedio, si profundius intestina obsideantur, quod in tertianis aestivis, et autumnalibus saepe locum habet, quae nimirum peculiari hepatis, ventriculi, et duodeni irritatione stipantur, unde tantus bilis proventus, ut a bile easdem febres sustentari plerique magni nominis Viri existimaverint.

At vero id tyronibus summopere commendamus, ut caute admodum evacuantibus in intermittentium hyposthenicarum curatione utantur; eaque vix, nisi in subjectis, in quibus pravum vivendi genus, aliaque praecesserunt, quae digestiones labefactarunt; non enim ex saburrae, vel bilis praesentia gignuntur hae febres, sustinenturque, ut plerique acriter adhuc contendunt, saepius adeo iteranda esse emetica, vel purgan-

tia opinantes; ex horum quippe abusu obstructiones, varias viscerum labes, insignem totius corporis debilitatem, febris pervicaciam, cachexiam, hydropem, ipsamque aliquando mortem consequi certum est; quod vero de evacuantibus memoratis, potiori jure de venaesectione affirmandum.

Non ii interim sumus, qui negare velimus, vitales vascularis systematis vires quandoque ita adaugeri, ut intermittentes febres continuarum typum induere videantur, unde ad venaesectionem sit confugiendum. Id enim aliquando in vernalibus, ac phlogisticis, sic dictis, febribus locum habere, vel in subjectis plethoricis, aut sanguineo temperamento praeditis saepius contingere affirmamus.

Opportune itaque, morbi praesertim initio, ubi occasio est, dari emeticum debet, vel purgans remedium, cortex dein quantocius subsequenti die febre vacuo exhibendus.

Ubi vero febres mali moris fuerint, gravibusque stipatae symptomatibus, uti in perniciosis ita dictis *ataxicis*, tunc minime cunctandum, et illico, magnisque dosibus praebendus cortex.

Illud autem magis proprium sumendi corticis tempus est, quo aeger febre vacat; quod si, ut interdum evenit, intervalla vix perspicua sint,

quemadmodum in remittentibus occurrit; juvabit hoc in casu illud tempus eligere, in quo febris vehementia minor est, omniumque symptomatum adest remissio.

Neque magna, et integra dosis uno haustu sumenda, quum impares saepe sint eamdem ferendi ventriculi vires; neque etiam paullo ante ipsius febris recursum largiendus cortex, quum generatim nequeat promptum adeo, et salutarem effectum suum illico exerere. Expediet propterea corticem mox elapso paroxysmo sumere, eumque in majores, minoresque doses partiri, pro subjecti, temperamenti, hyposthenìae gradus, aliorumque adjunctorum diversitate, dummodo tamen aeger opportunam capiat remedii dosim, quae febri radicitus tollendae sufficiat.

Cortice quoque uti per aliquod tempus debebit aegrotans minoribus sensim sine sensu adhibitis dosibus, donec ad opportunum, congruumque virium gradum corpus evehatur.

Nullo autem modo probare possumus eam quorumdam Clinicorum methodum, exiguam admodum, et per plures dies repetitam corticis dosim ministrantium; praeterquamquod enim ea morbo curando, vel saltem imminuendo minime sufficit; contumacior e contra, graviorque idem non raro efficitur, difficiliusque dein a consuetis remediis devincendus.

Non solum autem hisce febrilibus morbis prospicit cortex, sed multis aliis per periodos quoque revertentibus mirum in modum occurrit. Hujus generis sunt odontalgia, clavus, hemicrania, coma, typhomania, epilepsia, singultus, quemadmodum et periodici quidam dolores pleuritici, colici, renales, aliique, quando eorum caussa ex fomite febrium intermittentium larvato sustinetur; sed et etiam quando ab alia caussa gignuntur, utilis, etsi non adeo specificus cortex est.

Quando corticis usu febres sunt sublatae, juvat tunc nutrienti alimento corpus sustentare, gratis, jucundisque ideis mentem recreare, omnesque curas avertere, hilaritatem conciliare, purum spirare aërem, blanda exercitatione uti, eaque omnia vitare, quae hypostheniae producendae ansam praebere queant.

Neque interim pertimescendae opiniones illae, quae in vulgus abiere de pravis chinae-chinae effectibus, ut obstructionibus etc. Hae quippe haud firmo nituntur fundamento; obstructiones potius reserare valet cortex tonica sua, qua pollet, eximia facultate; eaedemque saepe ex diutius relicta febre, vel pravo curationis genere pendent, nunquam vero ex cortice rite, opportunoque tempore adhibito.

Pluribus substantiis amaris, tonicis sat apte

jungi patitur cortex; interdum quoque ille est quarumdam febrium genius, ut dum huic soli remedio resistunt, amararum substantiarum, saliumque neutrorum connubio facile sanentur. Saepe quoque cum diffusibilibus stimulis, praesertim cum opio utiliter sociatur, quae miscela promptiorem, efficacioremque quandoque ejus reddit actionem, ut pluries adnotavimus, quod tamen caute, et prudenti semper manu faciendum.

Multum, acriterque a Medicis disputatum est, utrum nempe in febribus continuis cortex conveniat, nec ne? Quis autem arbitrabitur iis in febribus conducere, quae diathesim hypersthenicam adjunctam habent? Illum tamen aptissimum, efficacissimumque esse in illis continuarum generibus censemus, quae summa virium debilitate stipantur, cujusmodi sunt synochi, typhique, quibus tamen in morbis haud sub eorum initio dandus, ubi calor urens, febris vehementia, viscerum, ac encephali praesertim orgasmus divexant, ubi irrequietus aeger, et insomnis est, quo in statu lenes tantum aptandi stimuli, viresque non ultra modum erigendae, ne prorsus tunc collabantur, nullaque amplius curationis spes sit.

Febres hujusmodi interdum cum eruptionibus cutaneis, petechiis, miliaribusque junguntur, quae omnia debilitatem maximam utplurimum

ostendunt, eoque in casu valdopere proficuus est cortex, maxime si aromaticis substantiis, serpentariae virginianae, contrajervae, similibus jungatur. Imo et diffusibiles stimuli magnam opem ferunt, dummodo tamen caute adhibeantur, juribusque carnium, aptoque nutritionis genere opportune aeger refocilletur, ne eorum stimulorum actione vires obruantur.

Alia quoque exanthemata sunt cum febre juncta corticem expostulantia, cujusmodi variola confluens dicta, eaque scarlatinae species, quae cynanchem gangraenosam comitatur. Binis hisce morbis egregie succurrit cortex, eodemque modo praebendus, ac nuper diximus.

An vero in febre flava conveniat, vel non plurimum adhuc disputatur. Is certe non ero, ut credam primis hujusce tam diri morbi diebus, ubi irritationis vehementis symptomata adsunt, dandum esse corticem, sed ubi horum remissio apparet, aut si debilis admodum aeger sit, et haemorrhagia sub ejusdem febris invasione contingat, protinus largiendum esse contendam.

Quid autem praestet in peste ob vim tonicam et roborantem, quam exercet peruvianus cortex, quisque facile percipere potest, quum agatur de morbo, ubi vires universae corporis adeo fractae sunt, ut syderatum veluti corpus ostendant.

Est interim cujusdam febris genus, quod remittentium more exarcerbationes quotidianas, vespertinis praesertim horis advenientes ostendit, graves et interdum ipsos Medicos decipit; id est hectica febris; in qua neque in initio, nec in morbi fine chinam-chinam utilem, quinimo interdum perniciosam esse posse arbitramur, et licet in phthisi quandoque utiliter adhibitam fuisse, cum lacte speciatim junctam legamus, difficile tamen rite determinari possunt casus, et adjuncta, in quibus eadem sit administranda.

Ad febriles, quod attinet fluxus, corticem generatim nocere credimus in iis haemorrhagiis, quas activas Cullenus appellat, quaeque, florente juventa, potissimum contingunt. In passivis autem non raro prodest, eo vel magis quum morbus ex virium vitalium infirmitate, fractaque vasculorum actione fovetur; hinc in menorrhagiis ab hac causa pendentibus, vel a systematis mobilitate fotis, aliisque similibus perutile remedium est.

Neque ejusdem usus improbandus in dysenteria, minime quidem primis morbi diebus, sed in ejus progressu, ubi nempe putriditatis, uti vulgo ajunt, symptomata apparent, vel in diarrhoeam morbus degeneravit. Opium in hoc casu opportune cortici adjicitur.

Maximae praeterea utilitatis est in stomachi imbecillitate, nervosis affectibus, hysteria, hypochondriasi, tumoribus, spasmis, convulsionibus, epilepsia, aliisque permultis morbis a nervosa debilitate proficiscentibus, de quibus longum nimis esset singulatim hoc loco disserere.

Sunt vero plane eximiae corticis vires, quas praestat in gangraena. Observatum quippe ab ejusdem usu inflammationem, suppurationemque circa locum affectum suborta fuisse, mortuamque partem a superstite viva divulsam, quae omnia ex tonica, stimulantique corticis facultate repetenda esse haud licet dubitare.

Externo denique multiplici usu adhibetur. Sinuosa, ac putrida ulcera foetidam, tetramque saniem fundentia mirifice corrigit cortex; in cancro etiam ulcerato, in ossium carie, et ejusmodi aliis magnam opem fert. In nonnullis quoque contumacibus defluxionibus a deperdito partium tono pendentibus injectiones cortice saturae admodum prosunt; hinc in leucorrhoea et inveteratis gonorrhoeis sistendis, ceterisque cum fructu adhibentur.

Clysteres ipsi ex corticis decoctione parati, ac frequenter in anum injecti, quum ab aegro cortex vomitu rejicitur, vel praeceps occasio est,

aliudque impedit, quominus ab aegro necessaria, et opportuna dosis intus dato intervallo sumatur, ad tollendam febrim summopere commendantur.

Dicendum nunc qua forma, quibusque dosibus peruvianus cortex sit ministrandus. Et primo quidem in substantia potius exhibendum, quam ejus praeparata danda esse cum sanioribus Practicis, et quotidiana experientia docente opinamur; utiliterque vino, aut aqua simpliciter, vel congruo quopiam liquido dilutus porrigitur.

Decoctum vero aquosum corticis frequens praescribitur, quod rectius paratur brevi ejusdem corticis pulverati ebullitione in vase clauso, citaque percolatione, quam ubi longa ebullitione, et evaporatione obtinetur, uti apposite monuit cl. Fourcroy. Decoctum istud valdopere ad corticem in pulverem redactum accedit, continet enim extractivum principium, *tanninum*, sal calcare, et praecipue extractivum principium oxygenatum. Id insuper commodi habet decoctum istud, ut minus, ac pulveratus cortex ventriculum fatiget, quamquam majori dosi sumendum sit, ut aeque ac pulvis agere queat. Haecque causa est, ob quam difficillime saepe intermittentes febres decocto cedant, dum pulvere feliciter persanantur. Juvabit ideo, et utilius erit

decoctionem adhibere in febribus ataxicis et adynamicis dictis, quae violentiorum tonicorum promptam administrationem requirunt, et simul remedium stomacho minus grave.

Decoctum hoc aquosum corticis cyathim sumendum porrigitur, gratiusque redditur addito aliquo syrupo, vel aromatica aqua.

Vinum quoque ut optimum praesidium habitum est ad medicas chinae-chinae vires eliciendas. Ast recentiora chemiae tentamina docuere omnia medicata vina communi methodo parata decompositionem quamdam subire, ex qua alienas acquirunt qualitates, quibus vitandis proponunt nunc praestantiores Chimici, principia corticis prius alcohole extrahi, dein tincturam hanc vino miscere, quod tunc vehiculi adinstar inserviat, ea proportione, ut librae duae vini albi generosi unc. j. ss. aut unc. ij. ss. memoratae tincturae recipiant. Dosis hujusce vini est unc. ij.

Inter usitatiores corticis praeparationes apud nos recensendum *Magisterium corticis peruviani* juxta Pharmacopaeam Taurinensem paratum, egregium revera medicamentum, quod vehementer exstimulat, erigitque, et sub minori dosi idem praestat ac cortex; hinc ad febres intermittentes pellendas, ubi breve admodum est intervallum febre vacuum, vel ubi corticem re-

spuit aeger, unciae semissis, vel potius drachmarum sex dosi in gravi discrimine opportune praescribitur in vino, spirituosa aliqua stillatitia aqua, vel congruo vehiculo mixtum, aut in bolum redactum. Corticis decocto interdum jungitur, et roborantem valde potionem constituit, quae in iis febribus confert, in quibus debilitas summa est: in rachitide quoque, scrophulis, aliisque pluribus morbis ab eadem causa sustentatis, recentiorum testante experientia, plurimum commendatur.

Extractum aquosum corticis officinale obtinetur aquosae decoctionis ejusdem corticis evaporatione, cujus praeparati actio eidem decocto pulveri chinae-chinae analoga est, cui quandoque etiam praeferri solet, quum scilicet aegre eumdem pulverem fert stomachus, vel quum sub parvo volumine eumdem praestolamur effectum, adeoque datur vel forma pilularum, aut tabellae in eodem parantur facilius ab aegrotantibus sumendae.

Commodior porro a nonnullis habetur tinctura spirituosa, quae ex unciis viij chinae-chinae, uncia una corticis aurantiorum, et libr. iij alcoholis paratur. Haec ab uncia semisse ad unciam unam convenienti vehiculo juncta solet ministrari. Plura saepe eidem adduntur, ut scilla, angelica,

gentiana; tum liquores aliqui spirituosi plus minusve grati, ut minus insuave medicamentum fiat.

Denique syrupus corticis haud spernendum remedium, quod infantibus praesertim datur ab unciis duabus ad uncias tres cochleatim sumendum, aqua aromatica aliqua stillatitia commixtum, nec infelici quidem cum successu. Haud vero memorabo plures febrifugos pulveres, tincturas, arcana etiam corticem ingredi, quibus tonicas, roborantes, febrifugas impertitur vires.

§. II.

DE CASCARILLA.

Corticis peruviani loco olim celeberrima fuit *Cascarilla*, cortex videlicet fruticis in Jamaica, Florida, Virginia, ac nonnullis meridionalis Americae regionibus obvii, qui *Croton Cascarilla* a Linnæo nominatur.

Prostat hic cortex tubulosis, ac convolutis frustis compactis, ponderosis, alba, rugosaque extus tectis epidermide, qua ablata, coloris est pallide brunnei. Sapor ipsi amarus, ac degustatus calorem in ore relinquit, odor aromaticus, fragrans.

Licet nondum perfecta habeatur chemica hu-

jusce corticis analysis, constat tamen principia ejusdem activa aptius alcohole extrahi; et juxta cl. TROMMSDORFF tentamina, mucilagine, principio amaro, resina, et volatili oleo scatere.

Amarum, et stomachicum optimum constituit cascarilla, ac febrifugum egregium, non adeo tamen efficax, tutumque ac china-china, quidquid contra scripserint complures auctores. Diarrhoeae, ac dysenteriae, quae a laxitate partium foventur, occurrit.

Datur in pulvere a gr. x ad xx, et usque ad drachmam semissem. Peruviano cortici juncta valentius agit. Tinctura alcohole parata a guttis xxx ad LX adhibetur. Extractum a granis xxx ad XL.

§. III.

DE ANGUSTURA.

Ex australis Americae urbe *Angustura* nomen habuit arboris cortex, qui ab Hispanis ad insulam Trinitatis translatus est, quique Londinum prius delatus, per universam dein Europam diffusus fuit.

Corticem hunc largiuntur densae sylvae, quae inter Trinitatem obtinent, et Curaçao, praecipue

prope Orenocum. Ejus arboris flores, fructusque quum observaverint duo praecl. viri Humboldt, et Bonpland, peculiare idcirco genus constitui potuit, quod in honorem ill. Bonpland dixit cl. Wildenow, ipsam ideo arborem *Bonplandiam trifoliatam* appellans.

Post recentiorem clar. Vauquelin analysim constat; praecipuum angusturae characterem esse gelatinam animalem minime praecipitare, ex quo singularis, et intensissimus amaror ejusdem substantiae explicatur; censetque principium, quod metallicas solutiones praecipitat, non idem esse ac illud, quod peruviano cortici inest.

Viribus suis angustura ad peruvianum corticem insigniter accedit, haud tamen adeo tutum in febribus intermittentibus curandis praesidium. Convenit in synochis, typhisque cum virium debilitate junctis; in diarrhoeis etiam, ac dysenteriis, quae a deperdito partium tono foventur, hisque in casibus felici saepe cum eventu ipsam adhibuimus.

In pulverem trita angustura datur a granis xii ad gr. xx. Infusum autem ex uncia semisse pulveris angusturae in libra una ebullientis aquae conficitur cochleatim sumendum. Decoctum etiam aquosum, necnon tinctura spirituosa ab eadem

parantur, quae, additis syrupo aurantiorum; nuce moschata, aliisque aromaticis et gratiora redduntur, et efficaciora.

§. IV.

DE QUERCU.

Non modo densandis coriis dudum usitatissimus *Quercus Roboris* L. (*) cortex, sed et medicis usibus jamdiu probatissimus ob adstrictoriam vim merito celebratus. Deglubitur hic cortex ex arbore in Pedemontanis sylvis vulgatissima, atque oeconomicis usibus plurimis inserviens; cortex vero e junioribus ramis desumendus.

Acido gallico, et *tannino* in aqua solubili abundat, e quibus adstringens vis repetenda videtur, quam revera eximie ostendit Roboris cortex non modo in detractis animalium coriis, sed et in vivente corpore intus, extusque adhibitus. Complurium siquidem Medicorum, et Culleni ipsius experientia testante, compertum est multis aliis adstringentibus, quae nunc in usu sunt, merito antecellere sive solum, sive maxime ubi cum alumine fuerit commixtum.

Febribus intermittentibus debellandis, ut cor-

(*) *Chêne* gall. *Rôl* vern.

ticis peruviani succedaneum a nonnullis, nec immerito fortasse, praedicatus; eo quippe has febres aliquando curasse testatur cl. Collega noster Rizzetti, quemadmodum in peculiari dissertatione de vi febrifuga hujusce corticis proxime edenda fuse admodum ostendit.

Extus vero ut adstringens in levi faucium tumore, in uvulae relaxatione, atque in cynanche tonsillari profuisse Cullenus affirmat; in leucorrhaea quoque, et gonorrhaea admodum inveterata, ubi alia adstringentia incassum fuere usurpata, in affecto loco cum fructu injici potest.

Datur cortex quercus vel pulveratus, aut infusi, vel decocti forma. Priori casu drachmae unius dosi praescribitur, aut uncia una in quavis aquae libra exhibetur. Extractum vero minori dosi porrigitur, a drachma nempe semisse ad drachmam unam.

§. V.

DE SALICE.

Vulgatissima apud nos secus amnes, humidasque sylvas occurrit *Salicis* species, quae *alba* dicitur a Linnæo (*), cujus cortex vernali tem-

(*) *Saule* gall. *Sales* vern.

pestate collectus, clibano dein exsiccatus, ac pulveratus medico usu inservit.

Cl. Vauquelin corticem hunc analysi chemicae subjiciens invenit aliquam interesse analogiam inter chemicas proprietates hujusce salicis, et quasdam chinae-chinae species. Revera cortex iste gelatinam animalem in viridem praecipitat, quemadmodum et sulphatem ferri; ac in obscurum colorem acetatem cupri praecipitat. Quum autem amarum simul, et adstringens principium una conjuncta possideat salix alba, hinc debellandis febribus intermittentibus praesidium tutum praestare idem celeberrimus Vir censuit.

Quibus ducti rationum momentis nonnulli Medicorum salicem albam tamquam insigne peruviani corticis succedaneum affirmare non dubitarunt; quod et experientia quidem abunde pluribus in casibus confirmavit.

Non omnino tamen huic remedio fidendum, adeoque in gravibus casibus semper china-china administranda; in lenioribus vero proderit hosce duos cortices simul sociare, maxime si febres intermittentes contumaces fuerint; tempus vero apyrexiae pro exhibitione servandum.

In pulverem tritus dosi drachmae unius porrigitur cortex salicis. Datur etiam in infuso, aut decocto, vel denique extractum ejus aquosum ministratur.

§. VI.

DE HIPPOCASTANO.

Quamquam exoticae originis arbor, nunc tamen in Pedemontana regione ubique fere vulgatissima in ambulacris est, quae *Æsculus Hippocastanum* (*) a Linnæo nuncupatur.

Hujusce plantae cortex e ramis haud valde aetate provectis, nec tamen junioribus detractus, et alburno expoliatus saporem adstringentem habet, et insignem amaritiem.

Febrifuga dudum vis a Medicis tributa est Hippocastano; eaque pluribus confirmata, nec in regione nostra incomperta, ubi, prae caeteris, clarissimi nostri Gioannetti, et Bonvicinus centies repetitis tentaminibus felices plures curationes obtinuerunt, quum, Regio jussu, intermittentibus febribus prope hanc ipsam Taurinensem urbem, loco dicto *il Parco*, viginti ab hinc annis endemice grassantibus opem ferrent. Dabant vero pulveratum hunc corticem dosi dupla corticis peruviani, vel extractum ejus aquosum drachmae unius, aut drachmae unius cum semisse dosi ter intra diem exhibebant, sicque febres intermittentes feliciter profligabant; atque vel ipsam quartanam isto cortice ii praecl. Viri fugaverunt.

(*) *Marronnier d'Inde* gall. *Castagna d'India* vern.

§. VII.

DE GENTIANA.

Insigni amaritie, ac tonica virtute antiquitus cognita *Gentianae luteae* (*) L. radix, quae gentianis omnibus, licet amaritie, viribusque similibus solet praeferri, ac in officinis eligi. Ejus principia tam aqua, quam vinum, ac alcohol extrahunt; efficaciores autem virtutes possidet extractum spirituoso menstruo paratum.

Vis febrifuga summa, ac peruviano cortici analoga huic radici tributa a nonnullis fuit; haud satis recte tamen: si enim china-china bonae fuerit notae, neque alienis corticibus sophisticata, longe efficaciori, certiorique pollet febrifuga facultate; haud tamen spernenda hoc scopo gentiana, quum enim mitius agat, iis videtur accommodari intermittentibus febribus, quae leviores sunt, quales vernales, quum praesertim una cum deperdito primarum viarum tono sociatae sunt.

Ob eamdem stomachicam eximiam virtutem iis morbis aptari videtur radix ista, qui magnam organorum digestioni inservientium debilitatem comitem habent, qualis podagra est, et scorbutus; convenit etiam ad vires ventriculi erigendas,

---

(*) *Gentiane* gall. *Gianzana* vern.

ubi post acutos morbos admodum sunt labefactatae.

Propter nimiam hujusce radicis amaritiem raro in infuso datur, aut decoctione; extracto saepius utuntur Medici a scrupulo uno ad drachmam unam. Tinctura ex eadem quoque conficitur, quae corticis aurantiorum, et alcoholis additione paratur, atque a quadraginta ad sexaginta guttas exhibetur.

Ingreditur mithridatium, theriacam, diascordium, pulverem Ducis Portlandiae etc.

§. VIII.

DE CENTAURIO MINORI.

Praecedenti affinis valde planta est *Centaurium minus* officinarum (*), seu *Erythraea Centaurium* Wild. (**), copiose apud nos ubique locis siccis, et apricis, imo in ipsis pratis, collibusque sterilibus proveniens, cujus analysim instituit cl. Vauquelin, adnotavitque sulphatem ferri in viridem praecipitare; at vero neque gelatinam animalem, neque tartritem stibiatum, neque tannini decoctionem ab eadem immutari vidit,

(*) *Petite Centaurée* gall. *Centaura minor* vern.

(**) *Enum. plant. H. Bot. Berolin. tom.* 1 *pag.* 247.

ex quibus comprobari videtur centaurium minus virtute sua admodum cortici peruviano concedere.

Cetero stirps ista, usitatissima apud nos, tonicas, amaras eximias possidet vires. Frequens enim ad intermittentes febres pellendas, corticis peruviani potissimum defectu insumitur, et *febrifuga* ideo *planta* vulgo pluribus in locis nuncupatur. Minus tamen intense agit ac gentiana lutea, cum qua, uti et cum pluribus aliis indigenis stirpibus solet consociari.

Planta florens eligi solet, quae cum floribus *Anthemidis nobilis* L. sociata, addito tantillo aetheris sulphurici, cortice peruviano deficiente, intermittentes febres felicissime profligavit, teste cl. BODARD (*).

Summitates florentes in pulverem tritae a drachma semisse ad drachmas duas dantur. Planta florens a pugillis duobus ad manipulum semissem. Sal centaurii minoris per incinerationem elicitum non magis valet, ac sal absinthii, de quo superius diximus.

§. IX.

DE CHAMŒDRY.

Antiquitus celebrata, ac inter amaras stirpes hodiedum recepta est *Chamoedrys* officinarum,

---

(*) *Cours de Botan. médic. vol. 2 pag. 57.*

sive *Teucrium Chamoedrys* L. (*), extractivo principio dives, non solum aqua, sed alcohole etiam educendo.

Maximus ejus usus est apud rusticos adversus febres intermittentes, sed et in podagricis laudatur, et pulverem Ducis Portlandiae ingreditur.

Frequentius, utiliusque infusum hujusce plantae usurpari solet; quandoque tamen siccatorum foliorum pulvis exhibetur a drachma una ad drachmas duas. Frequenti quoque in usu est extractum, quod datur a drachma semisse ad drachmam unam.

Amara alia planta *Scordium* est ex *Teucrii* Linnaeano genere, sed quidpiam subaromatici habet, et alliaceum spirat odorem. Extractum spirituosum actuosius est, ac extractum aquosum, atque oleum essentiale dicitur destillatione facile obtinendum praebere.

Dudum utpote alexipharmacum habitum scordium fuit; unde febribus sic dictis malignis, ac pestilentibus magni a Veteribus aestimabatur. Raro tamen solum porrigitur, et plurimas ingreditur formulas; ab eoque nomen habet celebre illud praeparatum, quod *Electuarium diascordii* dicitur, cujus tamen praecipua virtus ab opio

---

(*) *Germandrée* gall. *Calamandrina* vern.

est; ejus enim praeparati uncia una, duo circiter opii grana continet, vel drachmae tres unum circiter opii granum continent; daturque ideo a drachma una ad drachmas duas.

Dicenda venit hoc loco *Chamaepitys* herba olim ad *Teucrii* genus a LINNÆO relata, nunc vero inter *Ajugas* recepta. Oritur eadem in agris sterilibus, et ad muros; intense amara est, ac extractivo scatet principio, quod aqua, et alcohole extrahitur.

Ingreditur memoratum jam Ducis Portlandiae pulverem adeo in arthritide, et podagra celebratum. Revera utilis admodum planta est chamaepiteos utpote tonicum, et diaphoreticum remedium; quapropter in iis morbis, ubi roborans, simulque diaphoresim movens medicamentum desideratur, cum fructu adhibetur.

§. X.

DE ABSINTHIO.

Amarissima herba etiam in proverbium dicta est *Absinthium* sic in officinis vocatum, et *Artemisia Absinthium* (*) a LINNÆO nuncupatum. Copiose locis montanis, ac subalpinis provenit,

(*) *Absinthe* gall. *Insens* vern.

et in vallibus praesertim nostrarum alpium vulgatissima planta ubique etiam in hortis exculta.

Plura analysis chimicae ope ex absinthio eruuntur; ejus enim decoctio evaporationem passa resinam siccam, muriatem potassae, acidum vegetabile, connubium acidi vegetabilis, et potassae largitur; ac cineres residui muriatem potassae, sulphatem potassae, carbonatem calcis, aluminam, sulphatem calcis, silicem, et oxydum ferri praebent.

Penetranti admodum principio pollet absinthium, ita ut amarore suo non modo lac, sed et animalium carnes inficiat. Stomachicum summum, notissimumque praebet, quod ad ventriculi languentes vires erigendas, quum praesertim vel diuturno morbo, aut moestitia fractae fuere, valdopere conducit. Imo in ea cibarii canalis imbecillitate prodesse, quae podagricos lacessit, plurimorum Clinicorum, summique Halleri experientia praesertim confirmatum est. Nec minus confert, quando stomachi inertia ex peculiari uteri labe fovetur, ut in chronica leucorrhaea quandoque contingit.

Febrifugum insuper, et tonicum egregium sistit medicamentum: hinc ad febres intermittentes felici saepe cum eventu usurpatur. In cachexia, hydrope, aliisque diuturnis morbis a laxitate

pendentibus laudatur. Cavendum tamen, ne iis detur, quibus summa nervorum mobilitas est, ac in subjectis valde irritabilibus, neque ubi inflammationis metus adest.

Ad vermes enecandos familiare praestat mulierculis ipsis notum remedium.

Extus vero ad tumores discutiendos, praesertim in contusionibus cum axungia commixtum unguenti forma utiliter affectae parti imponitur absinthium.

Modus adhibendi varius. Vel enim aqua, aut carnium jusculo, vel etiam vino infusum sumitur. Essentia absinthii alcohole parata dosi drachmae unius datur. Si vero aromaticarum substantiarum additamento composita fuerit, tunc minori dosi porrigitur. Extractum absinthii a drachma semisse ad drachmam unam praescribitur. Conserva duplo majori dosi exhibetur.

Sal absinthii ex cineribus elicitum olim magni factum, hodie pene exoletum, quum carbonas potassae idem praestet, decem, aut quindecim granorum dosi praescribitur. Eo autem sale dum limoniorum succus saturatur, extemporaneum, ac frequenti in usu remedium paratur ad vomitum sistendum, quae praeparatio *anti-emetici* Riverii nomine notissima est; quae hujus salis scrupulo uno, cum succi limoniorum cochleari

uno conficitur, saccharo, et aromatica, si lubet, stillatitia quapiam aqua adjectis. Miscela haec effervescentiae tempore sumta, et paullo ante intermittentis paroxysmum non semel ipsum sustulit.

Vinum absinthites in officinis prostat, quod in usu frequenti est ad appetitum dejectum erigendum, et stomachi actionem excitandam. Solet quoque apud nos vino albo generoso infundi, additis, si placet, aromaticis aliis, tumque id potulenti genus habetur, quod anglico vocabulo *Wermuth* designatur, et ante pastum, ditiorum praesertim mensis propinari solet.

Mitiores vires exerit alia absinthii species in hortis quoque apud nos culta, quae *Artemisia pontica* (*) nuncupatur a Linnæo. Habet enim minorem amaritiem, sed aliquam majorem aromaticam gratiam; hinc quibus amaror nimius, aut gravis odor praecedentis molestus est, quales pueri sunt, foeminae, aut homines delicatuli, opportunior haec species esse solet.

Æquo hic jure addendae tres aliae *Artemisiae* species in summis scopulosis alpium nostrarum jugis nascentes, *glacialis* nimirum, *spicata*, et *mutellina*, quae vulgari *Genepì* nomine in-

(*) *La petite Absinthe* gall. *Insens gentil* vern.

discriminatim nuncupantur. Ad hasce enim stirpes, velut ad sacram anchoram nostrates alpicolae confugiunt ad suppressam perspirationem revocandam, tum ad lateris dolores, et ad febres intermittentes debellandas. Amaro eaedem, et aromatico principio gaudent, quo valide extimulant, roborant, danturque in infuso a pugillo uno ad duos, vel etiam tres.

Est denique alia *Artemisiae* species non omittenda, *Abrotanum* a LINNÆO dicta, quae pariter aromatica, et amara est, meridionalium Europae regionum incola, ac in hortis saepissime obvia, externo potissimum usu adhibita discutiendi, et resolvendi scopo; cui apud nos substitui posset ea *Artemisiae* species, quae *camphorata* dicitur a cl. WILDENOWIO, ac in sterilibus saxosis calidiorum collium in Monteferrato, Liguria, ac maritimarum Alpium convallibus nascitur, cujus odor camphoratus, fortisque magnas profecto vires promittit. Nihil addam de *Artemisia campestri* L. ubique locis siccis, et arenosis provenienti, quae in Abrotani defectu, licet debilior planta, eidem tamen substitui posset.

§. XI.

DE TANACETO.

Inter amaras nostrates stirpes merito commemoratur *Tanacetum vulgare* (*) L., ubique ad fossas, et fluentes rivulos occurrens, odore forti, penetranti, sapore acri, amaroque praeditum, et oleo volatili scatens camphorato. Sulphas ferri ejusdem foliorum infuso nigrescit.

Viribus suis ad absinthium valde accedit tanacetum, iisque adeo in casibus convenit, in quibus absinthium commendavimus. In febribus intermittentibus autumnalibus frequenter adhibetur, atque in iis praecipue profuisse creditur, quae hypochondriacis, aut hystericis superveniunt, aut diuturna moestitia fractis. Anthelminticae etiam vires tanaceto tributae, atque adversus hysteriam, necnon ad menses et lochia pellenda, atque ad intestinorum leniendos dolores laudatum. Ejus semina fraudulenta miscela seminibus santonici ab avidis mercatoribus commiscentur, sed virtute multo minora.

Datur tanaceti succus ab uncia una ad uncias duas; vel summitates ejus florentes in jusculo decoquuntur. Extractum frequentius praescribitur a drachma semisse ad scrupulos quatuor.

(*) *Tanaisie* gall. *Tnea* vern.

Analogas vires habent *Balsamita vulgaris* Wild. (*), meridionalium regionum incola, ac in hortis nostris exculta; tum *Achillea Ageratum* L. in Nicaeensi agro praesertim obvia; neque silenda alia tanaceti species in Hispania, et Gallo-Provincia crescens, quae *Tanacetum annuum* a Linnæo dicitur; huc referenda quoque *Santolina Chamoecyparyssus* circa Nemausum, Narbonem, et Segusium crescens, atque in hortis etiam culta, acris, amara, et aromatica planta stomachum roborans, et diaphoresim pellens; ac insignes discutientes vires exerens extrinsecus adhibita tum fotus, tum cataplasmatis forma. Tineas quoque fugat.

§. XII.

DE MILLEFOLIO.

Magni habita est a veteribus planta et in pratis, et ad agrorum limites apud nos vulgatissima, quae *Achillea Millefolium* (**) dicitur a Linnæo, cujus sapor leniter adstringens, atque una paullisper aromaticus, et amarus est.

Oleum volatile valde odorum destillatione

(*) *Menthe coq, coq, herbe coq des jardins* gall. *Erba de Sanpè* vern.

(**) *Millefeuille* gall. *Millefeui* vern.

praebet; ejus extractum aquosum amarum est, et austerum, minime vero aromaticum. Alcohol aroma omnino educit, atque odorem ei tribuit, quod maximam cum camphorato odore habet analogiam, et saporem calidum habet ac penetrantem.

Inter eximia vulneraria repositum est millefolium, ejusque foliis contusis, ac contritis, simplicissima encheiresi nostrates rustici utuntur ad vulnera consolidanda. Tonicum, ac adstringens remedium revera suppeditat, quod in internis ulceribus, in omni sanguinis fluxu, speciatim vero in haemorrhoidibus obstinate fluentibus commendatur; juvat etiam in mictu cruento, in chronica leucorrhoea, ubicumque morbus a laxitate fibrarum dependet. Flores millefolii nervinam vim cum vulneraria adjunctam habent, hinc, ut antispasmodico scopo etiam commendantur. Raro tamen hoc fine apud nos adhibetur millefolium; exhibetur idem vel leni ebullitione in aqua decoctum; vel ejus succus ab uncia una ad uncias tres praescribitur.

Inusitatae quoque, licet odoratiores ac praecedens sunt *Achillea distans* W. in montibus, ac subalpinis locis copiose nascens, et *Achillea nobilis* in montibus soli expositis, et apricis collibus crescens; efficacior adhuc ea, quae *ligus-*

tica est WILDENOW, et in Liguriae collibus crescit; efficacissimae demum binae aliae *Achilleae* species, *herba rota*, et *nana* in pluribus nostrarum alpium jugis nascentes, quae magna in existimatione apud alpicolas sunt ad plurimos morbos curandos. Magni revera faciendae ob amaritiem, et aromaticam fragrantiam, quum et ad sudorem movendum, vermes necandos, flatus discutiendos, et intermittentes febres tollendas summa cum utilitate adhibeantur.

Debiliores amarae stirpes, licet plurimum celebratae censendae sunt *Centaurea benedicta* LINN., seu *Carduus benedictus* officinarum, in Hispania, ac meridionalibus Europae plagis sponte nascens, et in hortis culta; tum apud nos *Centaurea Calcitrapa* ubique ad vias locis sterilibus reperiunda; rursus *Humuli Lupuli* (*) turiones lithontriptica praesertim vi olim insignes, pluresque aliae indigenae nostrates plantae, de quibus longum nimis esset hic loci disserere.

§. XIII.

DE CONTRAYERVA.

Etsi minus nunc radici Contrayervae credamus, cujus vis olim ad retundendam quorumdam ve-

(*) *Le houblon* gall. *Luvertin* vern.

nenorum noxam valde fuit praedicata; haud tamen ipsam eximiis viribus destitui omnes fatentur. Pertinet ea ad stirpem in Peruviano Regno, ac Antillis sponte nascentem, quam abunde quoque prope urbem Huanuco a Lima 60 leucis dissitam celeberrimi viri Ruiz, et Pavon repererunt, quamque Linnæus *Dorsteniam Drakenam* appellavit.

Exiguis nodosis, ac tuberculatis trunculis constat haec radix deorsum, et ad latera ramosas, tenues, ac nodosas fibras emittentibus; extus rubicundo-brunnea, intus alba, gustu amara, et acris, fauces sat valide, et os diu extimulans, odore summopere aromatico praedita.

Magnam mucilaginosae materiei copiam continet haec radix, quod ex eo deducitur, quum ejus decoctio aquosa difficile admodum per filtrum trajiciatur: ejus insuper extractum aquosum magis densum, et copiosum, ac extractum spirituosum, quod tamen sapidius, et medicatis viribus magis imbutum videtur.

Vis tonica eximia jure huic radici tributa est; hinc in iis febribus, quae cum summa virium labe conjunguntur, in synochis, typhisque, in confluentibus variolis etc. plurimum laudatur.

Pulverata radix a scrupulo uno ad drachmam semissem exhibetur; in infuso autem a drachma una ad drachmas duas praescribitur.

§. XIV.

DE SERPENTARIA VIRGINIANA.

Ob egregiam, qua pollere dicitur, vim lethiferos serpentum morsus curandi *Serpentariam*, et a natali loco *Virginianam* dixerunt radicem stirpis cujusdam ad *Aristolochiae* genus a LINNÆO relatae non in Virginia tantum, sed et in Carolinis quoque crescentis.

Radix hujusce plantae tenuis est, extus fusca, intus ex albo flavescens, in plures filiformes, ac flexuosas fibrillas divisa; aromatico odore pollet, gustui amara, pungens est; ejusque vires activae tam aqua, quam alcohole educuntur; extractum tamen spirituosum potentius agit ac extractum aquosum, licet minus sit ponderosum.

Efficacissimum praesidium sistit serpentaria in febribus adynamicis, et ataxicis ita dictis sive sola exhibeatur, sive praesertim cum peruviano cortice juncta. Non tamen primis morbi diebus illico largiendam credimus, ob validum stimulum, quem inducit, sed in ejusdem potius decursu, ubi debilitatis symptomata graviora sunt, ac torpor, delirium instant, pulsusque parvi, celeres, aut petechiales maculae apparent.

Convenit praeterea in ea anginae specie, quam cynanchem malignam Nosologi appellant; item

in dysenteria cum virium collapsu juncta, blanda enim perspiratione inducta morbi solutioni favet.

In pulverem trita radix a granis duodecim ad scrupulum unum, aut alterum praescribitur, frequentius vero a drachma semisse ad drachmas duas in aqua decocta sumi solet.

§. XV.

DE JUNIPERO.

Frequentis usus est in medicina *Juniperus communis* (*) Linnaei in apricis saxosis sylvis ubique proveniens, cujus lignum, et baccae medico in usu sunt.

Lignum leve, valdeque aromaticum; baccae saporem habent subdulcem, amarum, resinosum, odorem balsamicum.

Oleum essentiale destillatione praebent baccae, varia tamen proportione. Generatim planta haec principio resinoso redundat.

Tonicum eximium suppetit juniperus, cujus baccae praesertim inter stomachica, et carminativa praedicantur. Conveniunt in stomachi imbecillitate, quae praesertim diuturnas moestitias consequitur, plurimumque juvant ad flatus discutiendos, motumque tubi intestinalis suscitandum: utiles etiam habentur in cachexia, hydrope, in

(*) *Genevrier* gall. *Geneiver* vern.

mensibus parce fluentibus, vel suppressis, atque haemorrhoidibus revocandis. Torrefactae ad eosdem usus adhibentur. Paullo tamen confidentius rob baccarum usuvenit, quod minus extimulans, ac calefaciens sit, quamquam ubi protrahendus ejus usus est summa cum circumspectione incedendum sit; quippe et caput afficere, et systema nervosum offendere potis est. Oleum essentiale e baccis elicitum nervina, et carminativa vi insigne habetur, ac etiam diuretica, daturque a guttis sex ad scrupulum unum. Odontalgiam ex carie dentium mitigat. Spiritus earumdem baccarum diuretica vi pollere creditur, ac datur a scrupulo semisse ad drachmam unam in convenienti vehiculo.

Lignum juniperi tamquam diaphoreticum, diureticum, et antisepticum habetur; hinc ejus decoctum in cachexia, rheumatismo, renum morbis et nonnullis cutaneis affectibus, quae similis naturae medicamenta expostulant, laudatur. Cineres ex ligno parati peculiari in pretio habiti; quamquam nihil, praeter vulgares cineres valeant, neque ultra sal alkalinum vegetabile, seu potassam contineant.

Datur lignum in decocto ab uncia semisse ad uncias duas. Suffitus ex baccis, tum etiam ex ligno ipso paratur, qui nosocomiorum mephitim corrigere, aut potius larvare creditur: iidem

suffitus potius conveniunt levibus tumoribus oedematosis resolvendis, neque inutiles quoque sunt in rachitide ad imbecillos artus confirmandos.

§. XVI.

DE COLUMBO.

A Zeylonae Insulae urbe principe *Columbo* nomen habuit radix plantae nondum satis notae; quae sub exiguorum orbiculorum forma ad nos advehitur rugoso, crasso, viridique ad obscurum colorem vergenti cortice obductorum. Ejus odor leviter aromaticus est, et amarus, linguam, et palatum, dum per aliquod tempus manditur, pungens.

Ex chemica hujusce radicis analysi constat principium gummosum longe magis inesse ac principium resinosum; utraque intensissime amara sunt. Hinc nihil mirum, si plurimum haec radix commendata fuerit in variis ventriculi, ac intestinorum affectibus, et praesertim in dyspepsia: insigne revera stomachicum praebet, quo feliciter utuntur medici ad vomitum sistendum, licet non semper id praestet. In dysenteria quoque, ac diarrhoea maxime commendatur, daturque a granis x ad grana xx in uno, alterove aquae stillatitia cinnamomi, vel menthae cochleari; vinum maderiense

aptum valde censetur ad vires medicas hujusce radicis extrahendas. Diascordio sociata antiquas diarrhoeas non raro instar miraculi sistit.

§. XVII.

DE QUASSIA.

Intense amarum est *Quassiae lignum*, quod ex arbore habetur *Quassia amara* a LINNÆO vocata, et in Surinamo crescenti.

Quae autem hujus substantiae specimina advehuntur modo albida sunt, crassa admodum, quandoque vero cortice tenui, rugoso, albo, aut griseo tecta, non admodum duro, inodoro; qui intensissimo, ac diu persistenti amarore praeditus est.

Quidquid ex Chemicorum laboribus innotuit, ostendit longe plus gummosarum partium huic substantiae inesse, quam resinosarum; hinc infusum frigida aqua factum decocto longe esse praeferendum, meliusque esse praeparatum censetur.

Insignis ipsi tributa est vis antiseptica, stomachica, febrifuga. Hinc in stomachi, ac intestinorum debilitate, in febribus intermittentibus, maxime perniciosis valdopere laudata est quassia. Ingrata tamen valde substantia, nec ipsi major, tutiorque virtus ac pluribus amaris indigenis, et

praesertim gentianae luteae inest, quemadmodum Cullenus, Carminati, et recentissime cl. Bodard propria edocti experientia affirmarunt.

Datur in infuso drachmae unius dosi in qualibet aquae libra, vel tinctura alcohole parata exhibetur.

§. XVIII.

DE SIMARUBA.

Ad idem *Quassiae* genus relata est a Linnaeo *Simaruba*, arbor nimirum sponte in locis arenosis Cayennae, in Carolina, et in insulis Sandominicana, et Jamaica nascens, cujus cortex sive ex trunco, sive ex radice deglubitus lactescens est, amarus, flavescens; siccatus ad nos traducitur in frusta convoluta, varieque plicata, fibrosus est, levis ac tenax, coloris albo-lutescentis, extus rotundis prominentiis exasperatus, intus modo levis, modo libri reliquiis scaber.

Ejus vires pendere videntur ab amaro admodum principio, quod aquae etiam frigidae tribuit, et alcoholi.

In dysenteria, aliisque alvi fluxibus coërcendis valde celebratus fuit hic cortex, nec immerito; tonica quippe, ac roboranti, qua pollet facultate, in iis alvi profluviis a deperdito partium tono fotis remedium optimum quandoque

sistit, maxime si opio, vel opiatis praeparatis commixtus exhibeatur, ut non semel experti feliciter sumus.

Datur in pulverem tritus a granis xv ad scrupulum unum pluries intra diem, vel rarius majori dosi, aut infusi, vel decocti forma ad duas, tres, vel quatuor drachmas. Enemata quoque ex hujusce corticis decoctione parata utiliter in memoratis casibus injici solent.

§. XIX.

DE GUMMI KINO.

Dudum in Anglia, et Scotia non insuetum gummi in medica praxi, indeque in Germaniam, et in Europam ab Anglis transvectum fuisse ex iis, quae ab auctoribus tradita sunt, videtur. Hoc vero fundit, juxta cl. Duncan arbor in Jamaica crescens, quae *Coccoloba Uvifera* nuncupata est a Linnaeo, quamquam nunc melius *kino gummi* a nonnullis *Eucalypti* speciebus, praesertim a *resinifera* Wildenowii habeatur.

Vulgare autem kino in difformes massas duras prostat, coloris ex rubro-nigri, fracturae nitentis; fragile admodum est, ac in pulverem tritum manifestiorem rubedinem ostendit. Stridoris sensum, dum manditur, edit, saliva solvitur,

quam colore intense rubro tingit. Inodorum omnino est.

Cl. VAUQUELIN accuratissimam hujusce substantiae analysim instituit, ex qua constat quartam tantummodo gummosi principii partem continere; et praecipuam ideo ejusdem partem *tanninum* peculiare esse illi simile, quod in kina kina, ac rhabarbaro inest; item praecipitatum viride in ferri sulphate; rubrum cum gelatina praebere.

Miris laudibus elatum est hoc gummi in chronicis mucosae intestinorum, ac vaginae profluviis curandis, omnibusque affectionibus a deperdito solidorum tono pendentibus.

Injectiones quoque ex gummi kino factas, tum spongiam ejus solutione in aqua calcis madidam, ac in vaginam intrusam in fluore albo pertinaci a laxitate partis tantum pendente profecisse legimus.

Pares reapse vires exerit resina *Eucalypti*, quae tamen, quum rarior, nec ea habeatur copia ac praecedens, ideo minus usitata esse solet.

Datur gummi kino in infuso ad drachmam semissem, vel tinctura ex ejusdem unciis duabus, et alcoholis debilioris libra una per sex dies digestis, et colatis paratur, cujus uncia semisse vel drachmae sex omni bihorio, aut trihorio exhi-

bentur. Hac ratione in febribus intermittentibus apyrexiae tempore datum magnam aliquomodo opem praestitisse observatum est.

§ XX.

DE CATHECU, SEU TERRA JAPONICA.

Ex vocibus arboris *Chate*, *et Chu* ejusdem succo lingua patria ita nuncupatis *Cathecu* nomen sortita est substantia, cujus maximus proventus ex Indostaniae Provincia *Bahar* dicta habetur. Haec vero ex arbore obtinetur in India Orientali ac Malabaria nascenti, quam *Acaciam Cathecu* dixit cl. Wildenow. Quod autem in pharmaceuticis officinis prostat cathecu fragilibus massis ex rubro-nigris constat, fracturae splendentis, terreae, ac castaneo-brunneae. Huic odor nullus, sapor austerus, adstringens et amarus, dein dulcescens, qui diu linguae inhaeret.

Magnam tannini copiam in frigida aqua solubilem continet cathecu.

Iisdem viribus pollet, ac alia adstringentia; hinc in diarrhoeis, ac dysenteriis, aliisque profluviis sistendis confert.

Ut optimum quoque masticatorium habetur; hinc ad copiosiorem salivae secretionem proliciendam trochisci ex eodem parantur.

Raro solum adhibetur cathecu ; frequenter medicamentosis aliis substantiis consociatur, daturque ad scrupulum unum. Ejus usus crebrior esse solet ad conficiendas tincturas, quemadmodum ea est, qua cinnamomi et alcoholis additione paratur, vel tinctura gingivalis balsamica plurium substantiarum additamento facta, aut trochisci nonnulla recipientes, qui ad vitia oris et foetentem animam corrigenda exhibentur.

§ XXI.

DE SANGUINE DRACONIS.

Succus ex arbore erumpens, quae *Pterocarpus Draco* appellata est a Linnaeo in calidioribus Santa-Fè locis abunde crescens, qui inspissatus, ac in massulas conformatus grumi, vel oleae fructuum magnitudine, siccisque foliis ad instar folliculorum inclusus ad nos mittitur rubri coloris est ad nigrum vergentis, opacus, durus, friabilis, sapore ac odore destitutus, et *Sanguinis draconis* nomine in officinis cognitus.

Ubi purus est plurimum tannini principii in aqua insolubilis continet, et aliquantisper resinae.

Actio istius remedii eadem fere ac praecedentis; dubia tamen admodum juxta nonnullos, qui ideo ad rubrum potius colorem remediis nonnullis

impertiendum usurpandum esse credunt, ac ad salutares effectus revera producendos. Datur autem a scrupulo uno ad drachmam unam; cum alumine miscetur ad pilulas, et stypticum pulverem conficienda.

§. XXII.

DE BISTORTA.

Tam subalpina, quam alpina praesertim irrigua prata incolit *Bistorta major* officinarum, seu *Polygonum Bistorta* Linn., cujus radix inter adstringentia efficacissima a medicis recipitur. Principii siquidem memorati indicia praebere videtur austero suo sapore, tum quia sulphatis martialis solutionem nigram reddit, et corium densat. Tam aqua, quam alcohol adstringentia ejus principia recipiunt.

Ex hisce patet iis in morbis generatim convenire, ubi adstringentia convenire diximus. Hinc in chronicis ventris fluxibus, quando febris omnino abest, nec ullum est irritationis indicium, in haemorrhagiis, in diuturna, et contumaci gonorrhoea, quae a laxitate partium fovetur, in urethram praesertim injecta efficax remedium est. In nonnullis alpibus velut specificum in leucorrhaea habetur.

In pulverem redacta radix datur a drachma semisse ad drachmam unam, vel duas. In decocto ad drachmas sex, et etiam ad unciam unam.

§. XXIII.

DE TORMENTILLA.

Ad plantas adstringentes refertur etiam *Tormentilla erecta* Linnaei in pascuis, et sylvis regionis nostrae frequentissima, cujus radix inodora est, sed sapore styptico, leniterque aromatico pollet. Ejus infusum rubrum assumit colorem, ejusque stillatitia aqua spectabilis est ob peculiarem, quem induit rosae odorem et saporem. Aqua, et alcohol aeque principiis suis adstringentibus imbuuntur. Maximam *tannini* principii copiam continet, unde non mirum, si in Orcadum insulis, alibique ad coria densanda utiliter insumatur.

Ob validam adstrictoriam vim caute admodum adhibenda tormentilla. Juvat quammaxime in partibus relaxatis ad earum tonum restituendum, atque ad sanguinis et seri fluxus cohibendos; hinc scorbuticis prodest, necnon in dysenteriis, quae marasmum minitantur, in haemorrhagiis sic dictis passivis, in uvulae laxitate, gingivarum flacciditate, atque in chronicis ipsis ulceribus a solidorum laxitate fotis prodest.

In febribus intermittentibus cum fructu adhibita aliquando fuit tormentilla : imo eamdem cum gentiana junctam optimo cum successu ad has febres tollendas adhibuit praeclariss. Cullenus.

Radix decoquitur a drachmis duabus ad unciam semissem. At extractum praescribitur a drachma semisse ad drachmam unam.

Huic viribus affines admodum plantae sunt *Quinquefolium* officinarum, seu *Potentilla reptans* L. (*) ad vias, muros, et secus fossas vulgatissima; tum *Potentilla anserina* L. in submontanis arenosis Pedemontii, et valle Augustana quandoque occurrens; iisque omnino in morbis conveniunt, in quibus tormentillam commendavimus.

Datur succus expressus ab unciis duabus ad uncias quatuor.

Mitius adstringens, et tonicum praebere videtur *Agrimonia Eupatoria* L. ad vias, secus prata, atque ad oras sylvarum ubique frequens planta, cui tamen plures virtutes medicas auctores tribuere. Odore quidem leniter scatet aromatico, atque sapore amaro, valdeque austero. In chronicis fluxibus profuisse dicitur; ac in faucium ulceribus vinosam decoctionem utiliter

(*) *Quintefeuille* gall. *Erba sinchena* vern.

adhibitam fuisse testatur. Juvat etiam in chronicis rheumatismis, et quibusdam cutis vitiis. In infuso potius praescribitur; pro gargarismate vero aceto, aut vino infunditur.

§. XXIV.

DE ROSIS RUBRIS.

Odoris suavitate, formaeque elegantia notissima *Rosa* medicas quoque virtutes habet hic haud praetereundas.

Solet autem praesertim in officinis ea medico scopo eligi *Rosae* species, quae *gallica* a LINNAEO vocatur, ad sepes, et in sylvis quandoque obvia, sed in hortis generatim exculta, cujus flores saporem habent adstringentem, leniterque amarum.

Raro flores isti intus adhibentur, sed infusum vinosum eorumdem in chronicis leucorrhoeis, ac passivis uteri haemorrhagiis injectionis forma utiliter adhibetur.

Interno usu potius florum praeparata nonnulla in usu sunt, inter quae memorari maxime digna *conserva rosarum rubrarum* sic dicta, atque apud nos usitatissima; praescribitur eadem cum fructu in phthisi tuberculosa, ac in ea, quae haemoptysim consequi solet. Ut autem saluta-

res habeantur effectus, et largiori dosi, et longiori tempore adhibenda; legimus enim aegrotantes aliquos ad usque viginti libras ejusdem conservae assumsisse (*). Adnotatum insuper in phthisicis valde prodesse, ubi colliquativa fluit diarrhoea, quo in casu cum chinachina non inepte sociari potest. Juvat denique in leucorrhoea, in obstinatis ventris fluxibus etc.

Dosis conservae est a drachmis duabus ad unciam semissem. Praeparatum aliud vulgatissimum ex rosis servant officinae nostrae; mel nempe rosatum, cujus praecipuus usus in ulcerationibus oris praesertim; ac potissimum in morosis infantibus. Syrupus quoque rosarum paratur, qui ab uncia una ad duas dari solet.

Alia adhuc prostat in officinis conserva, quae ex fructibus *Rosae caninae* Linn. (**) vulgo apud nos ad sepes, et vias crescentis paratur, nomine *Conservae Cynorrhodon*, cujus usus est in alvi fluxu coërcendo.

Huic viribus par conserva ex *Corni maris* Linn. (***) fructibus comparata, quae ad eumdem usum adhibetur, daturque ab uncia semisse ad unciam unam.

(*) Alibert *mat. med. Vol. I. pag.* 175.
(**) Rosier sauvage *gall.* Gratta-cul *vern.*
(***) Cornouiller *gall.* Cornaj *vern.*

§. XXV.

DE COCHLEARIA.

Ad cruciferas sic dictas stirpes pertinet *Cochlearia officinalis* Linnaei, acris, amara planta, oleoso volatili principio admodum dives, ac septentrionales Europae plagas, et maris littora incolens, ac medico usu in hortis culta.

Inter antiscorbutica praecipuum locum tenet cochlearia, vereque proficua est in tanto morbo, cujus symptomata summam solidarum partium debilitatem testantur. Ast difficile admodum statuere, quibus in adjunctis revera hoc in morbo prosit, quibus inutile sit medicamentum. Plurimum enim inter se Nosologi disputant, qua nam in morborum classe collocandus sit scorbutus, nec satis hactenus consensere (*).

Multiplex est cochleariae adhibendae ratio: folia enim leniter contrita a pugillis duobus ad manipulos duos in aqua macerantur, atque infusum paratur, aut in vase convenienter obturato aquae calidae per breve tempus infunduntur. Succus ex tota planta expressus datur ab uncia semisse ad unciam unam, aut etiam unciam unam

(*) *Cl.* Pinel *in haemorrhagiarum classe:* Kerrandren *specialem ejusdem morbi sedem in fibrosa vasorum tunica reponunt etc.*

et semis in jusculo, aut alio convenienti vehiculo. Conserva quoque cochleariae parari solet, daturque a drachmis duabus ad unciam unam. Syrupus antiscorbuticus, praeter alia, cochleariam recipit, daturque ab unciis duabus ad uncias quatuor. Cerevisiae antiscorbuticae etiam in usu sunt, nec certe inutiles, quae cochleariae plurimum debent. Prostat demum in officinis spiritus cochleariae simplex, aut compositus, atque is etiam, qui cum varia alcoholis proportione paratus est. Spiritus cochleariae convenienti vehiculo dilutus maxime opportunus est in gingivarum laxitate, atque oris morbis; urinas quoque movet, daturque intus a scrupulo uno ad drachmam unam, si de simplici tantum sit sermo.

Quod de cochlearia officinali diximus, idem potiori jure dicendum de fervidiori, potentiorique alia cochleariae specie, quae *Armoracia* dicitur a Linnaeo, et *Raphanus* est *rusticanus* officinarum. Haec in australi Europa sponte provenit, nec in Taurinensi agro in pratis *di Vanchia* desideratur, ubi fortasse ex hortorum rejectamentis orta. Huc referendae quoque *Sisymbrium Nasturtium* Linn. ubique ad puras fluentes aquas obvium: tum *Lepidium sativum* in hortis generatim excultum, aliaeve plures ex cruciferis sic dictis stirpibus, quae et Chemicis pro-

prietatibus plurimum inter se conveniunt, et principia exhibent animalium principiis valde analoga, quum destillatae ammoniacam suppeditent, et ideo viribus quoque plus minus similibus gaudent.

Harum stirpium succedaneae habentur vulgo *Veronica Beccabunga* Linn. ubique ad fontes, et sinceras fluentes aquas occurrens, tum etiam *Menyanthes trifoliata* Linn., seu *Trifolium fibrinum* officinarum, quae in paludosis locis, secus lacus etiam in alpibus reperitur; amara nimirum planta in febribus etiam laudata, et in podagra, arthritide cum successu adhibita, quamquam in scorbuto, ac in ulceribus scorbuticis praesertim eluendis valdopere fuerit usitata.

Illud autem hic loci addendum tum cochleariam, tum alias antiscorbuticas plantas saepius tamquam diaeteticum prophylacticum auxilium adhiberi, faciliusque in acetariis, aut aliomodo crudas comedi, quam in infuso, aut varia ratione praeparatas sumi.

Ad hanc remediorum classem referenda videntur:

1.° *Cortex Winteranus*, qui ex arbore *Winterana aromatica* a Wildenowio dicta, eximium in scorbuto praesidium; in pulverem tritus dosi drachmae semissis praedicatur.

2.° *Canella alba* officinarum et Wild., cortex nimirum arboris similibus viribus praeditus, eademque dosi administrandus ac praecedens.

3.° *Cortex Codagapalae*, qui a *Nerio antidysenterico* Linnæi obtinetur, in sistendis fluxibus valde celebratus, sed debile ac dubium admodum auxilium. Electuarium ex pulvere hujus corticis ac syrupo aurantiorum confectum ad unc. ss. dari solet.

4.° *Radix Ginseng* ex *Panace quinquefolio* L., ut optimum subsidium ad vitales vires erigendas; in pulverem contrita a drachma una ad drachmas duas exhibetur.

5.° *Radix Lopeziana*, incertae stirpis, quae columbo radici succedanea habetur, et dosi xx, aut xxx granorum datur.

6.° *Radix Ratanhiae* ad stirpem pertinens ex *Krameriae* Linnaeano genere, cujus vis adstringens summa in haemorrhagiis, in haematuria, fluore albo mulierum, tum ad laxatas partes firmandas, et ad ulcerum cicatricem promovendam laudata. Id peculiare huic radici tribuitur, ut inter styptica solum dici mereatur, quod nihil infausti producat. Pluribus praeparatis inservit, quibus stypticam, tonicamque vim impertitur.

7.° Demum *Ayapana Eupatorii* species a Wildenowio recensita, cujus radix, et folia medico

usu insumuntur, et tamquam antidotum adversus serpentum, scorpionum, rabidorum canum etc. morsum praedicata, tum ad chronicos etiam, difficileque persanandos morbos, et praesertim scorbutum celebrata. At vero etsi alicujus utilitatis esse potuit, haud tamen satis tutum ac efficax praesidium exhibet, cui plurimum fiidendum sit.

EX REGNO MINERALI.

---

§. I.

DE ALUMINE.

Quamvis a veteribus plurimum laudatae ut valida adstringentia fuerint terrae nonnullae, et lapides, ut *argilla cretacea, terra sigillata, bolus rubra* etc., quum tamen et vana, et inertia esse Medicorum experientia probaverit, ad validiora, et efficaciora ideo pergendum est. Inter haec enim jure principatum obtinet *Alumen*, seu *sulphas aluminae*, quod vel purum in crystallos octaëdras regulares concretum naturaliter reperitur, vel arte paratum haberi potest. Saporis est adstringentis, et styptici. Solvitur in viginti aquae frigidae partibus, dum minori ejusdem pondere solvitur, si calida fuerit.

Tam interno, quam externo usu ab ipsis veteribus magni factum est alumen, nosque felicissime eodem saepe utimur, ubi morbus a laxitate potissimum, et a deperdita contractili vascularis systematis vi fovetur. Hinc in oris, narium, oculorum, urethrae, vaginae, uteri, intestinorum affectionibus a debilitate proficiscentibus, quoties cohaesionis partium vis augenda, vel ubi haemorrhagiae passivae adsunt, in colliquativis sudoribus, in diarrhoea, diabete, aliisque fluxibus, ac in intermittentibus febribus tollendis mirifice prodest.

Extus vero injectiones adstringentes ingreditur, utiliterque ideo in rectum intestinum, urethram, vaginam etc. injicitur sive ad tonum istarum partium erigendum, sive ad vicinos textus roborandos, sive etiam ut per sympathiam remotiora organa, totumque interdum systema instauretur.

Gargarismatis forma apprime convenit in uvulae, et tonsillarum tumore, ubi lenis inflammatio tantum fuerit; in gingivarum laxitate, et oris ulcusculis; sinuosis quoque, putridisque ulceribus inspersum prodest, maxime si ustum, ut ajunt, adhibeatur.

Quoniam autem alumen valide in ventriculum, ac intestina actionem exerit, ac interdum cum anxietate vomitum, et purgationem accersit;

hinc juvabit exiguis dosibus idem remedium ministrare. Datur ideo a granis v ad xx in aquae uncia una solutum; quae dosis crebrius, vel rarius exhiberi poterit pro subjecti, morbi et adjunctorum varietate.

§. II.

DE SALE AMMONIACO.

Ob vim, quam ammoniaco sali dudum veteres tribuebant, resolventem, ac aperientem, inclaruit remedium istud; nunc temporis autem inter exstimulantia merito reponitur. Sal hoc *murias ammoniacae* a recentioribus Chemicis nuncupatur, nec raro perfectum in natura reperitur, praesertim in ignivomis montibus, ubi varias formas ostendit. Ejus sapor intense amarus, acer, urinosus, ac pungens.

Insignis ammoniaco sali tributa virtus in morbis a glandularum, et lymphatici systematis debilitate pendentibus; hinc in febribus, ut vocant, mucosis, et catarrhalibus, in viscerum obstructionibus, ac in febribus intermittentibus, praesertim peruviano cortici junctum plurimum commendatur.

Sed et externo usu valde laudabile hoc sal: irritandi enim scopo clysteribus adjicitur in as-

phyxia; ulceribus putridis inspergitur; peruviano cortice sociatum optimum praebet dentifricium. Gargarismatibus, et collutionibus additur, ob vim, quam dicunt discutientem. Demum verrucis sine dolore exedendis, faciei efflorescentiis tollendis, et scabiei sanandae, si unguento magna ex parte eodem parato affectae partes inungantur, non inutile suppetit medicamen.

Regnum animale vix tonica proprie dicta remedia suppeditat, ni forte aliqua hic recensere velimus, quae nuperior Chemicorum, Medicorumque sollertia detexit: inter quae recensentur *phosphorus*, *acidum phosphoricum*, et *gelatina*; sed priora suo periculo plena, quum acido principio suo valde noceant, ac si dosi aliquantisper valida dentur, et gravia symptomata, ipsamque quandoque mortem accersant; fugacem insuper actionem exerunt, potius quam tonicam exerceant facultatem. Quod autem pertinet ad gelatinam animalem, cujus parandi modum, et miras virtutes in debellandis febribus intermittentibus summopere celebratas legimus a cl. Seguin, pluribusque dein medicis; illud tantum animadvertemus in solis fere intermittentibus simplicibus, quae interdum absque ullo remedio ces-

sant, praesertim profuisse, necnisi magnis dosibus, et diuturno usu opem tulisse, insuper ventriculo grave, aut aegro incommodum remedium praebere, adeoque nulla ratione cum cortice comparandam esse gelatinam, unde nihil mirum, si tunc temporis in dessuetudinem abierit, neque multum ipsi praefidant medentes.

cum hac ratione et dentes et capita relinquere possint, gravioribus incommodis et ulceribus aegre sanabilibus locum praebendo; pauculum potius muriatis sodae soluti dorso earum aspergatur, quo statim decidunt. Aquas enim dulces inhabitantes, salsas haud ferunt; in piscinis pisces, si multae adsint, sanguinem detrahendo interficiunt. Cui internecioni oeconomi occurrunt sal, quod illorum est antidotum, piscinis injiciendo, unde facile destruantur.

Sibi relinquendae hirudines, donec sponte decidant, quod ubi factum est, non illico sanguinis effluxus cessat, quinimo per horae fere spatium e vulnere adhuc extillat. Ut vero copiosius defluat, idoneae sellae insidere debet aeger, sub qua vas, in quod sanguis excipiatur, collocandum est, itemque candelarum quatuor accensa frustula, ex quarum calore efficitur, ut uberius sanguis huc derivetur. Poni quoque potest intra sellam vas aqua calida repletum, ut aquae vapor ad anum, vel affectam partem ascendat. Si sanguis nimia copia fluens sistendus sit, imposito splenio alcohole rectificatissimo, vel aceto imbuto id facile obtinetur.

Quod si in hac operatione hirudo intestinum rectum intraverit, quod chirurgi interdum incuria contigisse legimus, eam oportet tunc enemate ex aqua bene salsa parato expellere.